I, 698/B
I, 699

E. XV. 2
18

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3050157x

46427

SPECTABILIS

AUGUSTINI GIUFFRIDA

Primariæ Medicinæ Profeſſoris in Lyceo Catañenſi; & Catanæ, Acis, Maſcalarum iterum ARCHIATRI

QUÆSITA MEDICA

In Catanenſium quorumdam anticipatam informationem

SAC. D. FRANCISCO PANSA

CONSECRATA.

PARS PRIMA

Complectitur Prælectiones in Catanenſi, totique Siciliæ unico Lyceo habitas anno primo, & ſecundo conſtituti ad Magiſtrationem curriculi.

Catanę in Palatio Illm̃i Senatus Typis Doctoris de Biſagni 1753.
Superiorum Facultate.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SAC. D. FRANCISCO
PANSA
AUGUSTINUS GIUFFRIDA S. P.

ENimverò typis opellam liceat aliquando committere, quin protectionem adprecer, quin permagnum, ac terribile nomen inuſtum illius fronti exorem, obteſterque. Mecęnate deſtituar; impetar a quocumque: objurgationes non ægrè feram, ubi erràſſe intellexerò; perquirere Patronnm non auſim, ut noceam veritati. Qualemcumque habiturus exitum ſit Libellus, tibi, Dulciſſime FRANCISCE, ſacer me non mediocri lætitia indubitatè compleverit. Quamquam enim non leges, quæ ab Romanorum uſque Conſulum majeſtate (uti Antiquariis eſt apertiſſimum; & Univerſo quamprimùm erit Patrui tui Franciſci labore manifeſtum) per Atavos traducta complecteris, & gloriosiſſimé tueris: non leges, quidquid recenſere poſſem de geſtis per Te ſolum, iis decoratum virtutibus, quas miratur quiſque, ſibique deſiderat; porró nulla generis habita ratione in Te videmus, quæ vel abjectam, obſcuramque familiam

miliam valeant erigere, atque illuſtrare; ſeu pauperes ſublevatos conſulamus; ſeu ſplendidam cum Equitibus conſuetudinem contemplemur; ſeu auſcultemus muſicam tuam peritiam, & muſicis modis recitatas eruditionis, ac ſalium pleniſſimas in tua Domo comędias: Leges tamen id unum, quantum nempè Tibi debeam: Et quia gratus eſſe poteſt homo voluntate, ut monitor eſt Seneca; futurum ſpero, ut gratiſſimus videar publica debitorum profeſſione, æternoque teſtimonio. Gratias igitur & ago, & habere plurimas fateor pro munificentia & amore, quo me, cunctoſque meos excepiſti. Exponerem equidem ſingulatim beneficia, ni tuus incredibilis pudor impediret; ni veritas amicitiæ, in qua gloriaris, faſtidiosè deſpiceret. Sed hæcce officia mea, hanc animi ſignificationem admittas, neceſſe eſt, quia licet non eximia magnaque ſint, ab homine tamen amiciſſimo, gratiſſimaque voluntate proficiſcuntur. Ecquænam tandem? Te colere, quod tantummodo fas eſt a dedito literis accipere, & colendum omnibus quibuſque prędicare. Vale, & me, quod facis, ama tui amantiſſimum. Dat. Catanæ tertiò Nonas Majas MDCCLIII.

Lectoribus Ingenuis
AUGUSTINUS GIUFFRIDA S. P.

Quorumdam aut objurgationes, quæ non contumelia; aut monitiones, quæ non acerbitate careant, pacato potiùs animo tolerare conſtitui: quàm culpari, quòd Catanenſis, ejuſdemque in Sicilia ſingularis Lycei leges, in quibus aliàs maximopere ſum gloriatus, memoriâ excidiſſe permiſerim. Impoſitæ mihi pro Supremæ Curiæ judicio perſonæ munus implere jubeor, & contendo; ut, qualis habitus opinione fuerim, re commõſtrem. Cur id crimini vertatis? Naturâ ipsâ ita comparatum eſt, ut majora ſe quiſque ſuſtinere poſſe credat; ſępeque onera, quibus futurum fortaſſe ut opprimatur, mediocria putet falſa quadam ſuæ virtutis æſtimatione: quî fiet, ut non audaciùs rem aliquam ſuſcipiat, quando maximos ad auſus excitatur doctiſſimorum Judicum expectatione, & vaticinio? Feci quod licuit; nullumque tempus dimiſi, quin ad libertatem conſultò agendi Auditores impellerem: atque id explanatiùs, uberiùſque confectum arbitror; ni ſervire malint, quàm ne ſerviant, factis, dictiſque decernere. Oculos igitur non veræ gloriæ, mearumque virium indagatores acutiſſimos; at humanitatis, atque prudentiæ pleniſſimos ad quæ propono quæſita convertite: non dubito, quin hæc ejuſmodi eſſe conſentiatis, ut in lucem publicam prodire, quemcumq: laborem meum juribus Lycei teſtatura, debuerint. Sintne verò quæ ſecuriùs ad factitandam Medicinam ducant, ſeveriſſima ſtatera ſuſpendite; & veſtrum calculum adjectum ſi merebuntur, gratiarum plurimum iis habituros, fatemini, quorum diligentiâ primùm evulgata ſunt; nonnihil mihi, qui contento ſtudio collegi; qui nihil prætermiſi ex iis, quæ ad Profeſſionis profectum, opinatus ſum pertinere. Si non arriſerint, me commonefacite, redarguite, convellite, peſſumdate: ſed ſervata Medicinæ majeſtate; ſed poſito erga certum quemdam auctorem amore nimio, qui cęcare ſolet; ſed meis dictis ita expenſis, ut Civitatis ratio, Sodalium pervicacia, inſolens Silicerniorum auctoritas ne prætereatur. Valete.

NOn ſævas metuo reprenſiones
Non ronchos timeo, calumniaſve,
Non ullos obelos ſeveriores.
Non quod vel placeam mihi ipſe ſtultus,
Vel nullis ſtolidus calumniarum
Confixus jaculis queam moveri;
Sed quod ſi meritò reprendar, adſit
Quod poſſim mihi jure gratulari.
Sin verò immeritum imperitus ullus
Carpat Invidus, aut Sophiſta, quid tum?
Iſtis maxima diſplicere laus eſt.

Adeodatus Seba Epigr. 2.

QUÆSITUM I.

Utrum Auctores ita laudandi, ſuſpiciendique ſint; ut nemo unus ex Viventibus comparandus illis, anteferenduſve? Hinc quid, ſi ſtipet Diarrhæa Pleuritidem?

NEqua Vos inceſſat, obteſtor, admiratio; ſi me quæſitum aggredi, judicatis, explicandum, quod nihil omnino in Medicinam faciendam pertineat. Non levis error Vos abripit, Adoleſcentes mei, ſi tale quid ſentitis; & cauſa veſtra ſentiunt Ægrotantes. Non modó Medicinæ, ſed cuicumque profeſſioni operam navetis, nihil unquã pernicioſius fateamini, oportet; quàm admittere quidquid non ſatis cognitum, ac perſpe-

ctum eſt. Altiùs deſcendit, quia teneram imprimitur in ætatem, adamatur, pugnaciſſimé defenditur: quamobrem conſecrati certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis, quaſi neceſſitate conſtricti, etiam quod non probabitis, cogemini conſtantię cauſa defendere. In hance damnabilem judicandi ſervitutem Vos conjicient Auctores, quos temerè complectimini; & quidquid ipſi dixerint, tantúm quod dixerint, verum obfirmatiſſimè pronunciabitis. Quis laudarit *id quod a Pythagoræis accepimus*, uti loquitur Cicero 1. de Nat. Deor. *quos ferunt, ſiquid affirmarent in diſputando quum ex eis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos Ipſe dixit?* Omnes operibus loquentem audimus Naturam: mente præditi ſumus Omnes: cur noſtrum judicium non adhibebimus, noſtriſque ſenſibus non credemus? Accipite nulla unquam oblivione delendum Lactantii Firmiani conſilium: *Oportet*, ait de origine error. cap. 8. lib. 2. *in ea re maximè, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio, ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam, & perpendendam veritatem; quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione Sapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia Nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt: quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab Antecedentibus non poteſt... Quare quum ſapere, ideſt veritatem quærere omnibus ſit innatum; Sapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd, Majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia Minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia Majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipſis ſumamus exemplum, ut quomodo illi, qui falſa invenerunt, poſteris tradiderunt: ſic Nos, qui verum invenimus, poſteris meliora tradamus?*

2. Hinc veró nolim in veſtrum animum inducatis, ita honorificè de Vobismet ipſis exiſtimandum, ut nihil

rectum

rectum evulgetis, niſi quod Vobis arriſerit. Juvenes eſtis, atque uti in ſenectutem, ita in mentem, rationem, conſilium properatis. Sequiminor Præceptores non aliter, quàm Exercitatos Venatici Catuli, & repetitis exemplis, repetitiſque periclitationibus abſcondita proferetis, fallaciam refutabitis. Ubi Vobis & poteſtatem res quaslibet expendendi, & libertatem judicandi meruiſtis; cum iis ipſis, qui docent & quærunt; quærite & docete. Quidquid Vos perſuaſos habet, rectum credite: & de quorumvis diſſenſione non multum eſſe ſolliciti. Commune ſit jus dicendi, quæ ſentitis; ſentiendi, quæ longa inquiſitione comparaviſtis; reprehendendi, quæ falſa; ſequendi, quæ probabilia videbuntur. Propterea vel ipſum Hippocratem decernite Hominem, cujus eſt nec omnia ſcire; nec quæ arripit, numeris omnibus abſolvere, ut nequeat quidquam aut addi, aut eradi. Fuit vel amoris, vel adulationis pleniſſimum illud Divinitatis proprium præconium, habendum ſcilicet Virum fallere, fallique neſcium: illum enim fecit, nec Deo, cui exequatur, nec Hominibus, quibus eximitur, tolerabilem. Per me credatur licet conſilioſiſſimus; ſed non ultra humanam conditionem: credatur omni admiratione digniſſimus; ſed qui ſenſus Aliorum, & intellectum auctoritate non obruat: credatur, nunquam commiſiſſe, ut falleret, factum tamen aliquando, ut falleretur. *Quamvis hodierno die*, inquit Sanctorius in methodo vitand. err. lib. 3. cap. 15. *in plurimis Europæ gymnaſiis hæc inſania invaleſcat, ut magis Ariſtoteli, Galeno, & Hippocrati credant; quàm ſenſibus propriis: reſpondemus, illos potiùs qui magis credunt Auctoribus, quàm experientiæ, & rationibus, eſſe temerarios: hinc in libro de libris propriis Galenus vocat Servos illos, qui Hippocraticos, vel Praxagoræos ſe nominant: & ſecundo method. Tyrannicam doctrinam contentionis & confuſionis plenam illorum, qui dictis Aliorum nituntur.* Demum rem finit, affirmando, ſe non videre, cur Homo in Sanctorum catalogo non collocatus, aut pro Flatus divinitate non lo-

cutus, nequeat honorificè relinqui; ſi rationi, & ſenſibus adverſetur. Quid noſter Argirenſis Fortunatus Fidelis in contemplationibus med. lib. 1. cap. 5? *Medicos noſtris temporibus peritiores eſſe, ac meliùs nunc morbos curari, quàm agente olim Hippocrate, Galenoque.* Ab his facilé definiveritis quali reverentia Reliqui ſint excipiendi: Si uti loquitur Ovid. metamor. 2.

Quanto ſplendidior, quàm cætera ſydera fulget
Lucifer, & quanto, quàm Lucifer, aurea Phœbe;

tanto reliquis præſtantior incedit Hippocrates; huncque nihilominus inconſideratè non amplexamur: cur in Aliorum dicta jurabimus?

3. Conſtituenda ſanè methodus eſt, per quam eatis, non licet enim quócumque vocat hic, vocat ille, ſequi. Non facit ad laudabilem conſcientiam, Veſicantia exempli ergo imperare ad ſoporem modó; modò ad vigilias pariendas: porró non aliò ſpectat Hippocrates, ubi monet *facienti ſecundùm rationem, non eſſe tranſeundum ad aliud ſtante eo quod a principio viſum eſt:*

Sunt delicta tamen quibus ignoviſſe velimus;
Nam neque Chorda ſonum reddit, quem vult manus & mens;
Nec ſēper feriet, quodcumq; minabitur, arcus: Hor. in art. Poet.

quare aliquando, ſed non ſine ſumma cautione, cum Celſo, *oportet ubi aliquod non reſpondit, non tanti putare Auctorem, quanti Ægrum; & experiri aliud, atque aliud.*

4. Nec prætermiſerim, vertendum perſæpé non Auctoribus, ſed hos Conſulentibus culpæ, ſiquid peccatur. Conquirenda documentorum ſenſa ſunt, maximá, qua poteſt fieri, diligentia; non ſalutanda tantummodò, primoribusve labris attingenda. Quám infeliciter, quàm vehementer allucinantur, qui ad commendabilem Medicum effingendum, arbitrantur ſatis eſſe, ut aphoriſmos Hippocratis valeat demandare memoriæ! quàm impudenter audent, qui Explanatoribus inconſultis, de illorum perpetua veritate, aut falſitate pronunciant! Mecum pergite animo

animo non impatienti, quia monitus fiet exemplo manifeſtior.

5. Legimus in aphoriſmo decimoſexto libri ſexti: *A Pleuritide, vel Pulmonia detento, alvi profluvium adveniens, malum.* Hinc Aliqui univerſim prædicunt perniciem cum *Nenter*, quem fortaſſe decepit *Baglivus*: Aliqui practicam eruunt inſtitutionem, ut fluxum etiam incipientem coerceant cum Baglivo: *Si Pleuritis cum alvi fluxu ſtatim incipiat præfatum bolum.* ſcilicet pillulas ex requ. Nicolai, & Stybio diaphoret. *ſtatim exhibe, fluxuque ſedato, ſi phlebotomia indicata fuerit, eamdem impera.* Recténe utrumque? neutiquam. Conſulo Aetium ſerm. 8. cap. *66. & ſi ad ſalutem*, reſpondet, *permutetur morbus; Sanguinis eruptio ex naribus abundanter ſequitur, aut alvi exturbatio multis exeuntibus bilioſis, & ſpumoſis humoribus.* Conſulo *Aretæum* & reſpondet ubi de pleurid. cap. 10. lib. 1. *Si inter coſtas morbus irrepſerit, eaſque disjunxerit, & plegmones faſtigium extrorſum depromſerit, aut verſus inteſtina eruperit; plerumque Homo ad ſanitatem redit.* Et ubi de Pulmonaria cap. 1. *Si morbus aliquantulum in melius vergit, vehemens de naribus ſanguinis eruptio conſpicitur: aut per alvum cum perturbatione multorum bilioſorum, & ſpumantium ſuccorum dejectio.* Conſulo *Trallianum*, & reſpondet, fluxum tum eſſe malum, & compeſcendum quibuſdam extrinſecùs appoſitis, quum vires atterit: deinde ad efficaciora, & interna tranſeundum; *Si in coſtali dolore inflammatio*, ait, *præter naturam alvum exerceat; & eadem non ritè, plus quàm par ſit dejiciat, adeout vires corporis proſternat; ventri dumtaxat curiosè proſpiciendum neceſſariò, neque priùs, quàm is quoquomodo ſive aſperginibus, ſive epithematis conſtringatur.* Hoſne inter delectos Heroas non recenſebitis? non aſſecuti eſtis Medicinæ Præceptores. Vetuſtioreſne prædicabitis; & aliam Naturam; ut aliam ritè Medicinam facere, videamini? Quid ſi eadem docet *Sennertus*; ſi eadem cum Panarollo, Amato Luſitano, Zacuto Luſitano, Valeriola,

Ettmullerus,

Ettmullerus, & propria formatus experientia de aphoriſmo: *Non eſt*, inquiat, *univerſalis regula, quum obſervationes infinitæ contrarium teſtentur?*

6. Quid tantopere vos ſupinat? Longéne abſum a propoſito, quia Doctores, quos produxi de critica diarrhæa creduntur locuti, & poſt abſceſsûs maturationem quidem, non autem ab initio? Cavete Vobis a pertinacia, & in quæ ſubnecto, diligentiús incumbite. Fluxus ſanguinis a naribus, aut bilis ab alvo impedit, ne abſolvatur Pulmonia ex *Aretæo*. Si tum obviam eundum ex *Tralliano*, quum vires dejiciuntur: cur dicemus verba fieri de critica diarrhęa poſt ruptum apoſtema? Cedite *Fernelio*, ex quo *Diarrhæa ab initio innoxia eſſe poteſt; præſertim ſi illuviem aliquam, quæ febrim augere valeret, tollat.* in patholog. lib. 5. cap. 11. Cedite *Boerahavo*, ex quo *Pleuritis ſanatur auxilio Naturæ, ſi per alvum materiam flavam, bilioſam, ante quartum diem copioſam cum levamine ejecerit.* Dum enixè contenditis fluxum a principio cohibere, quî fiet, ut levamen appareat, aut incommodum? Me docet in Coacis *Hippocrates*: Dyſenteriam intempeſtivé ſuppreſſam abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut articulis facere: quamobrem auctor ſum, ne *Baglivum* ſequamini; ſed ſinatis Naturam operari, quatenus utilitas perſuadeat.

7. Productam orationem, replicatumque argumentũ ne faſtidiatis, obſecro. Abigendus a Vobis error eſt; abigendus timor ab Ægrotantibus, quibus, ſi negotium fluxus alvi ſub pleuritide facit, in ſuam ipſorum meritis paratam æternitatem rentur, ſe diſceſſuros: Et doctrina *Judicis argutum, quæ non formidat acumen* (Poet. *Et placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.* Horat. in Art. In aphoriſmo tria vocabula conſiderant Explanatores: *Adveniens*, *Detento*, *Profluvium*. *Advenire* non idem ſonat, quod Ægrum corripere ſimul ac Pleuritis corripuit, aut Pulmonia. *Si multus humor*, inquit *Hippocrates* 3. de morb. in peripneumoniam, *infra ſecedat a quinta die, mortem inducit.*

inducit: *infra enim humore ſecedente ſupernæ partes reſiccantur*, *& ſputi purgatio ſurſum non prodit.* Mors igitur timenda poſt quintam diem, ſi accedat fluxus alvi. *Detineri*, *& Haberi* non eſt utcumque corripi; verúm uti *Galenus*, & *Mercurialis* docent; graviter, & contumaciter morbo conſummato exerceri: quod in principiis eventurum, nemo eſt, qui seriò ſibi perſuadeat. *Profluvium* dicitur a *Tozzio* Immoderata, Impertinens, Vires atterens, & ſputum ſupprimens evacuatio. Hinc, ut ad rectum prognoſticum faciat aphoriſmus; reſpiciat, neceſſe eſt, multum humorem, coctionis tempus, ſputi ſuppreſſionem. Quid cauſſæ igitur, quamobrem revocemus Naturam ſi exturbat per alvum, quod Ars foret exturbatura adjumento cathartici, dum vires conſtant, dum ſputum ſui expectorationem haud concitavit, dum minor pro breviore febre reſiccatio? Dicite, quæſo, quibus ex cauſis oboritur Profluvium? Monemur ſanè per Herculem *Saxoniam* ubi de Pleur. f. 11. his: *Si intellexiſſent cauſſam propter quam Pleuriticis alvi fluxus ſuccedit*, *optimè ſcirent*, *quando timendus ſit alvi fluxus*, *& quando non*. Oboritur igitur apparatu primarum viarum: Deſpumatione febrili: Nimia materiæ pleuriticæ cumulatione: hæc pro conſenſu Peritiorum. Sub infarctu primarum viarum ab humorum corruptione; ab inordinato ſpirituum impetu etiam ad intendendas continuas ſubjectas membranas; a quocumque medicamine, cui ſubire ad ſanguinem uſque non conceditur, neceſſarió generabitur diarrhæa; nec ſine maxima utilitate, ut patet a ſucceſſibus: Et quamquam Pleuritis ſit Aſcendens, tamen quia major eſt reſiſtentia, ne opprimatur, ac præter naturam dilatetur Pleura, vel Pulmo, quàm in patentibus exonerationi glandulis inteſtinorum; fiet, ut repellatur pleuritica materia, eatque per moderatè ſollicitatam alvum, non pedem figat, non ſolida vincat obſiſtentia. Sub deſpumatione febrili fieri poteſt, inquit *Tozzius*, ut ſanguis a ſuis impuritatibus repurgetur; & quidquid hærere deberet in

parte

parte jam fracta, & eſſe abſceſſui incremento, ſecernendum inteſtinis committatur: quamobrem a minori tumore minus ducendi ſpiritûs impedimentum; a purc parciore Pulmonum operatio felicior. Quid ſi diarrhæa, uti monet *Hippocrates*, reſiccabuntur ſupernæ partes; & Æger acriùs fatigabitur? detur locus diaphoreticis, quæ ſemper ſecuriùs operantur ſociata opiatis. Sub nimia demùm cumulatione claudetur ſcena, non removebitur ſiparium; vaſtata pleura, obrutoque jecinore cadent omnia in irritum. Congererem plures hiſtorias non diſſimiles illius apud Bonetum: *die 6. ſupervenit diarrhæa, quæ per quinque dies duravit, cineritia excernebantur, obſtructionum imi ventris indicia. Anachatarſis interim ſenſim minuebatur, ſed febre miteſcente, liberiorique facta reſpiratione.* Sed duos contemplamini Pleuriticos apud *Hippocratem*; Filium Amphriphradis, 7. Epid. qui paſſus alvi egeſtiones multas aquoſas, & ſubbilioſas mortuus eſt vigeſima octava: ſed *ſpiritus*, ut loquitur Senex, *progreſſu morbi ſemper denſior, & anhelatio, & ſtridula aſperitas circa pectus, & arteriam.* Et Cauponem, cui decima ſubibat alvus acervatim, non ſæpe, & decimaquarta ſanus factus eſt: quare *Galenus* explicans aphoriſmum habet: *In mediocri*, ſcilicet non conſummato, *morbo laterali*, *atque pulmonia profluvium alvi superveniens poteſt interdum prodeſſe ratione evacuationis, & magis quum ſigna coctionis apparuerint ineſſe.*

IN SUMMA

Pleuriticis, & Peripneumonicis non ſiſtendus alvi fluxus, niſi quum vires atterit, & nocet expectorationi. Propterea ſine diligentia, judicioque noſtro non licet ratum habere quod judicatum eſt ab iis, qui Nos temporibus anteceſſerunt: errat enim quicumque

.... *Virtutem æſtimat annis*,
Miraturque nihil, niſi quod Libitina ſacravit.
Hor. lib. 2. Epiſt. 1.

QUÆ-

QUÆSITUM II.

Acidulæ, quas offert noſtra Paternio laudandæne ſunt adverſus Aſcitem, an secùs?

QUum ſpes quemcumque Mortalium ſoleat in miſeriis conſolari, poſtremaque deſtituere; & nemo ſit unus Fato adeó infelici preſſus, ut ſibi ſe diem alterum vivere non poſſe, perſuadeat; ad veritatem quamproximè *Ovidium*, arbitror, acceſſiſſe, quando 1. de Pont. cecinit

Sæpè aliquem ſolers Medicorum cura relinquit
Nec ſpes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem:
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Cur non quæſierit vel a venenis auxilium, & majore quidem contentione? porró *in aliis*, inquit *Aretæus* lib. 2. cap. 1. *haud omninò perniciosis affectibus, Ægrotantes abjecta ſunt animo, triſtes, mortis amatores: in his verò*, ſcilicet hydropibus, *& benè ſperant, & vitæ cupidi ſunt.* Ingeneratæ moriendi formidini præſidia etiam fallentia perquirere, concedamus: ſed quicumque ſe ſtudet ad leges Medicinæ componere, temperet, neceſſe eſt, ab illaudabili cupiditate. Cur ab noſtræ Paternionis Acidulis adverſus Aſcitem deprecari ſuppetias? Opinor, quód urinas movent. Verumne id, & ſalutare? Accipite.

2. Diuretica ſicut urgent ad renes, ita plerumque reſolvunt humorum compages: quid ſi *indicationes*, ut loquitur *Malpighius* in conſiliis, *ſunt reſtituendi debitam compagem ſanguini, auferendi erodentes ſales, juvandi coctionem viſcerum*? Minuent aqueas portiones, quæ circumaguntur; ne hilum quidem revocabunt e cavitatibus in circuitum. Nonne uſu continenti per vias breves ire ad renes poterunt? tum verò quænam utilitas? Acidulas ce-

terarum regionum prohibet *Nenter* octava cautela pra-ctica, ubi hæc: *Acidularum in hydrope uſus omninò reji-ciendus.* De noſtris quale ferendum judicium ſit, ignoro: Si ſtat conſilium *Cyrilli* apud Ettmullerum, dum *reſtat*, ait, *ut de Acidularum, ac Thermarum natura ab effecti-bus tantùm, quoad fieri poteſt, philoſophemur: & eo tan-tùm contenti ſimus, ſi illas ſulphureas, ſalſas, aluminoſas, nitroſas, vel aliter, a prædominante in ipſis ſapore, odore, atque notabiliore proprietate appellemus.* Guſtu judice ſunt acidæ, denteſque ſtupefaciunt: experientia teſte pariunt obſtructiones. Nonne acidorum eſt, bilim figere; atque ipſa hæc nonne ſatis fracta malé affecto ut plurimum je-cinore? Subſcripſerim Hoffmanno in diſſert. 23. num. 26. *Nec Acidularum, nec Thermarum tutus, utiliſque potus eſt, ubi viſcera nimiùm indurata ſunt, vel ſcirrhoſa: ubi humorum adſunt extravaſationes, & effuſiones in cavitates Capitis, Thoracis, Abdominis: porrò ubi Ventriculus, In-teſtina, Renes, Pulmones, Meſenterium abſceſſibus, empye-mate, aut exulcerationibus afficiuntur: quapropter caveant ab his ad Apoplexiam, Epilepſiam, & Hemicraniam in-veteratam proni: & ubi memoria, ſenſuumque tam exter-norum, quàm internorum vigor periit; caveant aſthmate convulſivo, hydrope pectoris, & polypo cordis affecti: Ca-veant preterea conſummati Phthiſici, Hectici, Hydropici, vel qui cancroſis depaſcentibus ex lue venerea ulceribus, vel gonorrhea virulenta affliguntur.* Subſcripſerim *Lanciſio* a-pud *Armillæum*, ubi de iis, quæ acetoſis ſalibus, nimirum Vitriolo Cupri, & aluminoſo imbutæ ſunt: *Utiliſſimæ*, ait, *habentur in diuturnis bilioſis Diarrheis, in calidis viſcerum obſtructionibus, in calculoſis diatheſibus, atque aliis hujus generis morboſis diſpoſitionibus, quæ dependent a principiis nimium mobilib. & acrovolatilibus, nimium fixis una cum concentrato ſulphure.* Subſcripſerim Hippocrati de aer. aq. & loc. *Iſthic ubi calidæ aquæ exiſtunt, aut Ferrum na-ſcitur, aut Æs, aut Argentum, aut Aurum, aut Sul-phur, aut Alumen, aut Bitumen, aut Nitrum: hæc enim*

omnia

omnia præ violentia caloris naſcuntur: non itaque ex hujuſmodi terra Aquæ bonæ prodeunt, ſed duræ, & æſtuoſę, quæ & difficulter minguntur, & ad alvi egeſtionem contrariæ ſunt. Negandum igitur, Aquas diureticas erumpere ab illa terra, quæ Thermales offert; ſi credimus Hippocrati. Sed credamus, neceſſe eſt, experientiæ, quæ pro aeris, & aquæ ingenio morbos Incolarum oboriri patefacit. Paternionenſibus aut liberum, aut neceſſarium eſt ejuſmodi acidulam bibere; tentantur frequentiſſimè ſplenibus magnis, plurimis ac lethaliſſimis hydropibus; non autem hecticis diſſolutionibus, diabeticiſque profluviis.

IN SUMMA

Acidulas, quas Paternione habemus, nihil eſt, cur Aſciti cuicumque profuturas exiſtimemus.

QUÆSITUM III.

Quid de humanæ urinæ medica facultate? Et an illa Impuberum commendabilior, uti vulgò reputatur.

Rerum viciſſitudines non verba tantúm, de quibus *Horatius: Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque, quæ nunc ſunt in honore*; ſed ipſa Tellus, ſed Imperia patiuntur. Illa ſic conſeneſcit, ut per partes, regioneſque multum amittat de veteri ubertate, ac opulentia; multum deinde ſuſcipiat ad nova frugibus alimenta, novamque fœcunditatem. Hæc modò nimiis affluunt deliciis, viribus, divitiis; modò jaçent, ut liceat cum *Ovidio* veriſſimé dicere:

Magni ſæpè Duces, magni excidere Tyranni
Et Thebæ ſteterunt, altaque Troja fuit.

Quid mirum ſuis obnoxia vicibus medicamina, ipſamque Medicinam ſi profitemur? Urina in uſum tam communem evaſit ad morbos fermè omnes atterendos, profligandoſve, ut timere fas ſit de vectigali imponendo. Coacti quondam ſub Veſpeſiano ſunt Populi, ut haberent amphoras in angiportis ad illam excipiendam, & aſſervandam. Unde *Martialis* lib. 7. epigr. 93.

Tam malè Thais olet, quàm non Fullonis avari
Teſta vetus, media ſed modò fracta via.

Deſtinabatur veſtibus emaculandis, & ſi credimus *Zarotto*, purpurarum tincturæ. *Vrina Hominum* inquit *Galenus* 10. de facult. ſimpl. medicam. *ut ſiquid aliud extergendi vim obtinet, quod quum Alii multi ſatis indicant; tum maximè Fullones, qui ſordida veſtium eâ expurgant; atque extergunt*: Et *Ramazzinus*, ubi de morbis Artificum: *Neque noſtra ætate id prorſus obſolevit: nam in officinis pannificum, ubi lanæ pectuntur, & panni texuntur obſervantur doliola, ubi Operarii omnes mejunt, & in iis urinam aſſervant ad putrefactionem uſque, qua poſtmodùm utuntur.* His uſibus enatum eſt Vectigal urinarium, de quo legi meretur *Juſtus Lypſius*: hìc addam e *Svetonio*: *Reprehendenti Filio Tito quod etiam urinæ vectigal commentus eſſet; pecuniam ex prima penſione admovit*, Veſpeſianus, *ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur: & illo negante: Atqui, inquit, e lotio eſt.* Hinc ſatis multi, urinamne ructent, aut etiam vomant, & ſint amphora ad coronam plena: an peſſimè pro aſperginibus oleant, flocci pendentes, crumenam non vacuam, & recuperatam, confirmatamve ſanitatem objectant. Et cum Juvenale habent: *lucri bonus eſt odor ex re qualibet: illa tuo ſententia ſemper in ore verſetur: unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.* Acceperunt miram, ſingularemque præ reliquis animalibus humani lotii naturam eſſe, & videntur evocaſſe opinionem *Turnheiſer*, qui narrante *Helmontio*, voluit

luit tot ſpecies ſalium eſſe in noſtra urina, quot ſunt ſimplicium in univerſo; & nedum Hominem eſſe Mycrocoſmum, ſed etiam lotium eadem prærogativa gaudere, ut ille habet de Lithiaſi cap. 3. num. 20.

2. Extrinſecùs valere credunt ad innumera. *Pſoras, & Lepras*, ait loc. cit. Galenus. *eâ detergunt, perfunduntque ulcera tum multa humiditate, tum ſordibus, & impuritate ſcatentia, ac multò magis ubi putridum quiddam obtinent: ſed & pudendis ubi ſic afficiuntur, & auribus pure fluentibus, quin & achores & furfures eâ curant*; Reſolvunt tumores præcipuè recentes, & a contuſione ulceroſas partes linteo circumvolvunt, quoties mejendi neceſſitas inceſſit, illud ſatiant, nec antè ſolvunt, quàm revocata ſit ſanitas: paucis, in morem pretioſiſſimi balſami. Utuntur adverſus Eryſipelata, præſertim cum aceto, aqua, & ceruſſa, ut docet *Ettmullerus*. In Podagram, quamobrem ſcripſit *Plinius*, Fullones ideò non tentatos hujuſce generis incommodo, quia pedes merſos in urina continebant. Per fomenti ſpeciem in Tympanitem ex *Hoffmanno*; in Aſcitem ex *Malpighio*, in Paralyſim ex *Foreſto*; in Uterum ad coxas incumbentem ex *Hippocrate*: ne multa: numeratur etiam inter Coſmetica: *Aliqui etiam hodie*, inquit Mercurialis, *in abluendis corporibus, & faciebus utuntur*: & quod miremini, ad dealbandos dentes, unde illud *Catulli* in Egnatium

Nunc Celtiber in celtiberia terra
Quod quiſque minxit, hôc ſolet ſibi manè
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam:
Ut quo iſte veſter expolitior dens eſt,
Hôc te amplius bibiſſe prædicet lotii.

Ridetis ad hæc? cavete, ne in vos cadat quod *Clemens Alexandrinus* apud Bartoli e Societ. de Muliere neſcio quali ſcribit: *Bellos habet dentes, rideat, neceſſe eſt; ut præſentes videant, quàm ſit ei os venuſtum: & quamvis læta non ſit, toto tamen die ridet*: Bibiſtiſne lotium, ut bellos dentes oſtenderetis: an lęti efficimini, quod illitum

illis

illis lutum Urinâ detergitur? videte, ne plorandum ſit.

3. Intrinſecùs uſurpant ad Catharſim ſi fuerit inveterata, uti Auctor eſt *Plinius*: Habent materiam pro cliſteribus urgente præſertim dolore colico ex *Valeriola*, hydrope ex *Williſio*. Sanat, ne ſingillatim percenſeam, morbos omnes, qui lentis humoribus adſcribuntur: Quartanam, Icterum, quem vincit etiam in pecoribus; nam habet Columella: *Humana urina remedio eſt etiam pecoris arquato*, Scirrhos Hepatis, & Lienis, incipientem Anaſarcam, alioſque ejuſdem ordinis: immo Aſthma etiam ab effluxibus vitrioli, & aquæ fortis. *Ubi ſpiritus vitrioli, aut aquæ fortis effluvia invadunt Pulmones*, inquit *Boerhavus* de viribus medic. thoracic. cap. 5. *Unde ſæpenumero Peripneumoniæ graves, & Aſthmata fiunt, optimum pulmonicum eſt urinæ putrefactæ vapor ore receptus, a quo acidum pulmones infeſtans convertitur in ſal volatile innoxium*. Viperarum morſum ex *Zacuto Luſitano*, Menſtruorum emanſionem; & ſi fuerit Mariti, partum efficit felicem probante *Ettmullero*.

Ægrotantium, an ſanorum eſſe debeat, non uno voto definitum eſt. *Zacutus Luſitanus* docet, præſtantiorem illam Ægrotantis. Solenander propriam imperat laborantibus; & *Mercurialis*, *Urinam*, ait, *ſuam cuique potam conferre exiſtimatum eſt*. Et Avicenna habet: *Quidam Homo ſpleneticus ſomniavit, quod præcipiebatur ei in ſomno, ut urinam ſuam biberet omni die; & invenit mirabile*: Paucis: minori nauſea, quæ propria eſt, admittitur: ſed conſiderare neceſſarium eſt, an multum aquea; ſalibuſque deſtituta ſit: ſic enim elaborata, videtur inutilis; conſiderare propterea qualitates, quæ aliæ, atque aliæ fuerint pro qualitate ciborum: & *ob diatheſim ſanguinis a ſtatu naturali deviantis*, ut loquitur Verheyenius. Hinc

4. Illa Impubium Venerem non expertorum tanti facienda non eſt, ut reliquis quibuſcumque anteferatur: nec illa, quæ potui attribuitur, vel parum morata in ſanguine, ac veſica; nam ſi vires deducuntur a ſale ammoniacali;

cali, quó parcior, & infractior eſt ſal eò, virtus languidior. Audite *Ramazzinum* ubi de morbis Fullonum cap. 15. *Remedium equidem a ratione non adeò alienum videtur, & cujus facile eſſet experimentum, ſi præſertim urina manè ſit reddita, quæ ab Helmontio urina ſanguinis dicitur. Verùm non tam facilè cuiquam perſuaderi poteſt, ut alienam urinam ſorbeat, niſi interdum vrinam Pueri, quam tamen imbecilliorem urinâ virili cenſeo: dum urinæ Puerorum, utplurimum decolores ſunt, & veluti res fatua, ex quibus non multùm ſpiritûs, & ſalis volatilis elici poſſit.*

IN SUMMA

Qui ſitit urinam, & maximam in illa ſpem ſanitatis collocat, virilem, prorſuſque ſanam bibat, & adversús lentos humores. Ad minuendam injucunditatem tribus, vel quatuor ejus unceis addat unceam e decoctione ſpicæ Nardi, vel Celticæ. *Nos*, loquar, ex *Galeno* loc. cit. *hæc facere odimus potiùs, quum ad manum ſint alia medicamina; & urina non eximium quid præter alia poſſideat.* Et quæ in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur?

QUÆ-

QUÆSITUM IIII.

In omni Pleuritide, quæ ſputum non offert, eſtne fugiendum ad Veſicantia?

PAucis non contentus Lectoribus Baglivus, ut ventoſæ plebis ſuffragia venatus fortaſſe videretur, in nimis vulgarem ſcribendi formam incubuit, ac laboravit: venit propterea in manus multitudinis; & plauſu exceptus incredibili, ſummam ſui excitavit admirationem, ſummamque ſibi peperit, qua coleretur, auctoritatem. Et quum plurimum interſit, quid a quoque præcipiatur: eadem enim documenta, claritudine, vel obſcuritate docentium aut tolluntur altiſſimè, vimque inferunt innumeris animis; aut humillimé deprimuntur; factum eſt, ut Medicorum Noſtratium fermè nemine reclamante, quia multitudini cedente, habitus ille ſit ævi noſtri ſingularis Apollo non minùs a Mulierculis in ignobili plebe latitantibus, quám a Viris in ſpeciem limatioribus, illuſtribuſque. Verúm contrà audentiùs eundum eſt; ut Medicinam non ſervili, ſed libera, qua decet, mente factitemus. Et nulla fuerit difficilior Pleuritis, quæ Veſicantia non flagitaverit? Errorem detegamus, & vitabimus objurgationes, quibus perſæpè ab Ægrotantibus impetimur. Diſſeramus explicatiùs, noſtramque ſi non ſententiam, perpenſationem tamen offeramus: non quó præferri noſtram aut ipſi velimus Aliis, aut contendamus; ſed quó collatis ſimul Baglivianis, poſſint, qui hæc legerint, judicium quique ſuum majori penſo adhibito temperare.

2. Tribus præcipuè cauſſis inhibetur ab eruptione pleuritici ſputamenti materia 1. Craſſitudine puris, aut denſitate membranarum; 2. Oppreſſi loci diſtantia, quia

viæ

viæ non ſunt faciles, & idoneæ: 3. Motu non urgente, ad Pulmones, ſed alió. Quis unquam ſibi in unam harum aliquam ire veſicantia perſuaſerit? Pus concoctione tenuatur, abſolviturque, non diſcerptis particulis, quod exequerentur Cantharides; Et denſitas membranarum nunquam minor evaſit ſtimulo corrugante, atque intendente illas; ni dicere velimus, parari vias repugnante, & nunquam tale quid ſuadente Natura. Deſiderentur iſthæc: non evenient, nova, enim, motûs per Cantharides excitati directio vota compellet in irritum. Ab hujuſce præſidii memoria laudabili ſanctum eſt, illud donari particulis acerrimis, quæ fermè adęquent ignem: & ubi venerunt ad ſanguinem, renalibus eum tubulis aptare, in tremorem magis egregium ſolidorum fibras attollere. Revocate, quid poſſit ſtimulus, ſaltem in animalibus; fatebimini, motum humorum ad ſe convertere, uti, ipsa, nec ſubeuntia quidem, ptarmaca manifeſtant. Sit ſtimulus compoſitus, nimirum comitatus particulis, quæ veniant ad ſanguinem; efficaciore id methodo perficietur, uti patet a validioribus Catharticis. Humores ergo ſtimulis vocantibus ad tibias obſequantur, neceſſe eſt; aut præ victoria circumeuntium ſalium in renes adigantur. Si alia eſt directio liquidorum ad expectorationem, alia ad renes, in quos feruntur neceſſariò, & conſtantiſſimè Cantharides; cur non dicemus cum Ballonio lib. 3. conſil. 89. ſequente Galenum, *Diuretica præſertim acria nocere Pulmonicis, & impedire expectorationem?* Num ut ſequamur Baglivum, diſcedemus a praxi plurium ſæculorum obſervationibus confirmata; immo, & ab ipſa Natura, quæ certas quaſdam partes peculiari ſibimet conſenſione reſpondentes aperuit? Sub alvi laxitate præſto eſt Cutis denſitas: eandem legem ſervant Pectus, & Renes; Ubera, & Uterus. Exoptantibus ſudorem nunquam licuit imperare cathartica: cur licebit mictoria, & vehementia, quandó urgenda ad trachæam materia eſt? Nonne canone Bagliviano 46. ubi de med. ſolid. docemur hæc: *Ars ab affectis in oſcil-*

 latione

latione locis evacuando divertere poteſt materiem per Veſicantia? Urgebuntne eadem ad locos affectos, ut ſputum evadat: & inde trahent divertendo? Quis dederit?

3. Hic veró *Hippocrati*, oportet, ſatisfaciamus: eo namque duce, cantharidibus uſus videtur Baglivus; poſtmodum dogma, pro ſecundis ſucceſſibus evulgavit. Reportat ex Hippocrate in prognoſticis: *In Pulmoniis quicumque tumores fiunt ad crura, optimi ſunt.* Diſpeream, ſi diſcerptum non eſt, & in fruſtulo oblatum documentum:

Mentior & ſiquid, ſputis caput inquiner albis

Pleuritici, atque in me veniant mictum, atque cacatum

Baglivi Manes, aut cęci ejus Amatores, ſi prorſus aliò ſpectantem Senem non demonſtrabo. Accipite Hippocratem: *Abſceſſus ad crura in pulmonis inflammationibus fortibus, ac periculoſis omnes quidem utiles ſunt: optimi verò ſunt, qui, dum ſputum jam in mutatione eſt, fiunt: ſi enim tumor, & dolor fiat, ſputo pro flavo purulento fiente, & foras procedente; ita ſecuriſſimè Homo ſuperſtes evaſerit, & abſceſſus abſque dolore celerrimè ſedabitur: ſi verò ſputum non benè proceſſerit; neque urina ſubſidentiam bonam habens apparuerit, periculum eſt, claudum fore articulnm, aut multum moleſtiarum exhibiturum.* Accipite *Galenum* fidiſſimum tantorum Senis oraculorum Oedipum: *Inſtituit Hippocrates ſcrutari de morbis euntibus ad abſceſſum: hi verò ſint omninò de crudis, craſſiſque humoribus, oportet ..... in Pulmoniis vehementibus abſceſſus ad crura fieri prorſus bonum eſt: ſiquidem maximè vera ſententia Hippocratis eſt, ut optimi ſint, ſi maximè deorſum, & quamlongiſſimè ab Ægrotatione abſiſtant; magis verò ſi concoctione pariter fiant.* Sed clariùs celeberrimus Cardanus in comment. Prognoſtic. Hippocratis, & prognoſtici quidem 67. *Senſus eſt: Quum propoſuiſſet, duo eſſe genera abſceſſuum, unum ad partes ſuperiores, alterum ad inferiores; modò comparat unum alteri dicens. Abſceſſus ad inferiores partes eſt ſemper cum ſpe vitæ magna, ac pęnè cum ſecuritate; quia ſi fit ſputo jam purulento, &*

foras

foras procedente, ſecuriſſimè liberabitur Homo, & etiam abſceſſus diſcedet brevi, & ſine dolore: ſin autem malè procedat ſputum, nec ſit concoctum, tamen liberabitur, quamvis difficulter, & cum labore .... Propterea neceſſarium eſt ſcire, quod in talibus derivationibus materia peripneumoniæ non tota tranſmittitur: ſed tenuis pars expuitur, craſſa tranſmittitur: eſſet enim error magnus Naturæ, quod mitteret materiam concoctam in alia membra ad putrefaciendum ipſa, ſed mitteret ad canales per alvum, vel per urinam .... Neceſſarium fuit Hippocrati addere hoc, quod ſputum ſit concoctum, ultra id quod benè procedat, ad hoc ut tam morbus, quam abſceſſus ſit ſecurus, & facilis. Ab his accipite me: Igitur ſermo Hippocratis eſt de formando prognoſtico quantum ad abſceſſum; futuruſne ſit hic, vel ille ſalutaris, & capit indicium a conditione ſputi fluentis, ſi flavum ſit, an purulentum, non autem de abſceſſu abſque ſputo, ut hoc debeat apparere poſt abſceſſum, & abſceſſu excitari. Deus immortalis! Si tum laudabiles ſunt abſceſſus, quando ſputum in mutatione eſt: quomodo excitandi, ut ſputum erumpat, & excitandi, quia boni? Pergamus: Igitur licebit per artem abſceſſum facere, quia ubi per naturam apparuere, fuerunt ſalutares? Admiſerint libentiſſimè Bagliviani, ubi falsò illis datum eſt, Hippocratem ſenſiſſe, Abſceſſus in pulmoniis ideo bonos, quia ſputum pollicentur. Sed audiant *Baglivum*: *Criſes ad articulos Natura peculiari quadam lege ſibi ſoli nota promovet, ac perficit.* Soli nota? quomodo etiam Medicis amantibus veſicantia? Addamus ex eodem: *Criſes ſive naturæ motus quos natura ad articulos ciet, ſive in acutis, ſive in chronicis, religiosè obſervandi. Neque ab eo motu divertenda eſt natura per remedia ad vias eidem contrarias, ſed curandum, ut ſemper ad articulos omnia deponat, donec quieſcat.* Nonne *Hippocrates* docet. *quibus ſpes eſt ad articulos abſceſſum futurum, abſceſſum liberat urina multa?* qua ratione utemur veſicantibus ad provocandum abſceſſum in articulis, ſi veſicantia provocant urinam multam? Paucis: Abſceſſus

non ſunt boni, quia ſputum promovent: Non licet arti, quod naturæ: Non licet creare cientibus urinam.

4. Opponitis eventus felices: Non opinor apud Catanenſes, numerarem enim quammultos vellem uſu ejuſmodi auxilii perditos. Non communes cœterarum regionum, quia libri tales non offerunt. Baglivianos igitur: ſed liceat in aliquanto plura diſcedere: Sunt ejus verba: *Quocumque die ſecundo ſcilicet aut quarto, quinto, ſeptimo, ante vel poſt ſanguinis miſſionem ſpirandi difficultas, & difficultas pariter excreandi ſputi Pleuritico ſuperveniat, ſtatim duo veſicantia tibiis admoveo. Poſt appoſita veſicantia obſervavi expectorationem ſtatim promoveri, ſpirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum ſi adeſſet, feliciter ſiſti.* Pergite mecum: Num quæcumque difficultas ducendi ſpiritus oboritur cohibito ſputo? Sputum promovere licet a ſecundo die? Movent ſtomachum, qui hæc audent pro aris, ſociſque defendere. Medicorum omnium conſenſione externum apoſtema non diverſa percurrit ſtadia, quám internum; cur a ſecundo die ſputum? curandum, ne ſuppuret, ſtudendum ſuppurationi, incumbendum in puris excluſionem. Infeſtante Hepatite, vel deſcendente Pleuritide, obſervatur non raró difficilis reſpiratio, num ſuccurrendum extrinſecùs cantharidibus? Hippocrates dixit in pulmoniis: Baglivus extendit ad omnes pleuritides! Indicabunt veſicantia reſpiratio difficilior, ſputum non prodiens: Quid ſi morbus liquante febre ſtipatur, doloribus nimiis ab acriore materia, fibrarum rigiditate, vigiliis pertinacibus, urente, clamoſaque ſiti? Nonne tum, ut Baglivus loquitur. *Tota ratio curandæ Pleuritidis, aliarumque inflammationum conſiſtit in procuranda laxitate partis inflammatæ?* Eruntne veſicantia remedium ad laxanda ſolida?

5. Liceat monere, præceptionem illam, *Solo per tuſſim ſcreatu feliciter curantur Pleuritici*, ita in quorumdam caput deſcendiſſe, ut nihil verius, nihil magis neceſſarium opinati ſint, & pugnaciſſimé in conſultatoriis conſeſſibus

ſeſſibus defenderint, quàm Pleuritidem omnem etiam deſcendentem ſputi expectoratione vincendam. O ventoſa Aſinorum capita, ſi neſcitis, nihil ſentire melius eſſe, quàm prava ſentire, dicite, quo duce, quo Lare tutamini? Baglivo: cur non Sydenhamio, qui *exiſtimavit in ſummo diſcrimine verſari illos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent?* Ne juremus in aliorum placita, Homines enim ſunt, & quæ ſua credunt, nimis amant, ideoque occęcantur. Congeſtitia Baglivi, confragoſaque documenta fallunt laboris impatientes: Et verò nunquam ille definire poterat, quamlibet Pleuritidem ſputi emiſſione ſuperandam, vel ipſa voce *feliciter* addita: nam ejuſdem ſunt hæc: *Sciendum eſt, Pleuritidem aliquando purgatione tolli debere etiam in principio morbi.* Tolleturne propterea infeliciter?

6. Sed, inquitis, Quid tu Hominis es? Hippocrati Romano, cui ſemper debuit, debebitq: Perſona major officium, Æqualis affectum, Minor obſequium, fidem non habes? Non habebis *Freindio*, qui Pleuriticis, uti loquitur de febrib. pag. 44. interfuit nonpaucis, & vidit admotis veſicatoriis ad ſanitatem perveniſſe? Non habebis *Williſio*, ubi de peripneumonia deſcripſit ſecundam hiſtoriam, & omnem a veſicantibus repetiit utilitatem? Nullus ſum: *pro Superi quantum mortalia pectora cęcæ noctis habent!* nullus ſum: ſed jam præmonui, non quærendos Auctores, quærenda rationum momenta, & experimenta. Et cur non ſeriò, quos objicitis, contemplamini? Hippocratem Romanum ſaluto *Baglivum*: ſed qui, vel in Coum adhibeo meum judicium; non prætermiſerim in Romanum. Siquid in hunc injuria dixero; quominus mihi ſitis inimiciſſimi non recuſabo: ſin conſuetudinem meam, quam ſemper habui, tenuero, ideſt ſi liberè, quæ ſentiam, protulero; primum deprecor, ne iraſcamini, quia nemo natura duce non rapitur; deinde ſi hoc non impetro, peto, ut ſic iraſcamini, ut Medico pro ſua virili contendenti ad veritatem. *Freindus* longé aliter philoſophatur de poteſtate cantharidum, quàm

Romanus

Romanus Hippocrates: *Nequaquam*, ait de febrib. pag. 71. *audiendi ſunt ii, qui in affectibus nervoſis, in febribus ardentibus, & continuis, etiamſi ſopor, aut delirium acceſſerit, veſicantium uſum repudiant.* Ab hiſtoria Williſii fas eſt determinare, fuiſſe futurum abſceſſum in tibiis; & datam ſolummodo per cantharides celeriorem occaſionem. Expendamus: *Veſicatoria*, inquit, *perampla brachiis, & cruribus applicui: ulcuſcula in brachiis brevi ſanabantur, in tibiis verò excitata, non tantùm aperta manebant, verùm poſt quinque, vel ſex dies in immenſum fluebant; & deinceps ferè per menſem ichoris acerrimi copiam ingentem quotidie profundebant: interea Pulmones ſenſim melius habuere, & demum ſarcina omni immunes evaſere: denique ulcuſcula veſicatoriis excitata egrè admodum perſanari potuerunt.* Quis unquam expectaverit a veſicantibus adeo ingentem materiæ evacuationem? Ubinam felicior ſputi emiſſio? Nonne quadrat prognoſticum Hippocratis, *ſi ſputum non benè proceſſerit, periculum eſt, claudum fore articulum, aut multùm moleſtiarum exhibiturum?*

7. Me non fugiunt Clariſſimorum quorumdam teſtimonia, quibus ire in uſum veſicantium, non tamen ad movendum ſputum, ſine crimine quandoque poſſumus: ſed perpendendæ Medicorum non minùs, quàm Ægrotantium qualitates. Non quia licuit Virgilio, eiuſdemque ſubſellii Nonnullis, uti brevibus incrementis vocum *Fervere, Effulgere, Steterunt*; ideo fas erit cuicumque aggredienti duos verſus, variam ſillabam facere. Docuit *Cyrillus* apud Ettmullerum, ubi de convulſione: ſi materia acris ope veſicantium educitur, hæc convulſionibus prodeſſe. *Ramazzinus* oratione nona: *Habet equidem*, ait *ea Medicinæ pars, quæ Theorica dicitur; ſpecioſa theoremata, & univerſalia quædam effata, quorum merito ſcientiarum cętui videatur poſſe accenſeri: aſt ubi ad tecmarſim, & curandos particulatim morbos velit deſcendere, non pauca illi obviam fient impedimenta; adeout perſæpè reipſa præ-*

ſtare

ſtare nequeat, *quæ fidenter*, *& magnificè nimis ſpoponderat.* Et de mortib. ſubitan. lib. 2. cap. 5. num. 12. *Lancisius*, vocat inanem eorum metum, qui, ne morbi cauſſam forſitan igneam exacuant, a veſicantium, igniſque uſu abhorrent; & addit: *Aliud eſt methodicas*, *regulares*, *ac præſervativas*; *aliud coactas*, *ac repentinas morborum curationes inſtituere.* Hæc, Adoleſcentes mei, proponite, Ægrotantibus: & mox eruite: Non quia materiam acrem domuerunt aliquando cantharides pro inimicitia peculiari in morbi fomitem: non quia fortuna ruptus abſceſſus eſt pro inita per Naturam via: non quia præceptiones theoreticæ in exoptatum finem quondam non perducunt: Ideo & in lentorem, & in acrimoniam æquè valere veſicantia judicabimus; omnem curationem irregularem fingemus; nullum tenebimus portum, ſed quòcumque nos rapiet tempeſtas, deferemur hoſpites. Serviant igitur Pleuritico veſicantia: ſed quando cum Galeno *Satiùs eſt cum fiducia*, *& periculo aliquid facere*, *quàm ſpe ademptâ Ægrum perire.* ſed quando quiſque Medicorum, quin ruborem ex verecundia contrahat, poterit Ægrotum his affari: Impero veſicantia,

.... *Fortunæ cætera mando*, Ovid. 2. met.
Quæ juvet, *& meliùs*, *quàm Tu*, *tibi conſulat*, *opto.*

IN SUMMA

A veſicantibus, aut coacta, aut ex compoſito procedat curatio, nunquam licet Pleuriticis, & Peripneumonicis expectare ſputi expectorationem: Siquando his caſus monſtravit innoxia; ſalutaria fecit una credulitas.

QUÆ-

QUÆSITUM V.

Poteſtne Arte fieri ſalutaris Abſceſſus ?

NEC novum eſt, nec fermè non communiſſimum, uti Gubernatorem, non ratione bené navigandi, ſed Navigantium, ac negotiationum utilitate; ſic Artem medicam unicè probari cauſſa optimæ valetudinis. Hinc videntur culpari Medici, quum non debellant, quidquid ipſis objicitur; & evulgari ab humanioribus negligentes, a tumentibus ignorantes, a credulis infortunati. Utinam ejuſmodi objurgationes ſuam a Medicis quibuſdam origiginem ne fateantur; ſunt enim qui uno, alterove proſpero ſucceſſu elati, vertunt Reliquis vitio, quod vinci non potuit; & petulantibus buccis concrepant: *Cognito Morbo facilè curatur*: Adagium ſané, quo apud omnes, etiam Ægrotos nihil eſt confirmatius. Utinam ſic res haberet. Verùm peſſima perſuaſione determinant, poſſe morbum quemlibet a Medico ſuperari, quaſi foret Deo ſuppar, Naturâ major, induſtriorque. Eſt, quatenus exſecrationibus, atque injuriis ignoſcatur; debentur enim amori erga vitam, mirum quantum, incredibili; debentur offenſo Amanti, & offenſoris ignaro. Credamus Ariſtoteli potiús, quàm Vulgo, & ab illo in veſtrum omnium Auditores, & in Ægrotantium emolumentum offeram, ex 1. Rhetoric. cap. 8. *Medici officium non eſt curatione ſanare; ſed curare ad ſanandum appoſitè, ideſt curando eatenùs progredi, quò licèt: fieri ſiquidem poteſt, ut quamquam nulla ratione Aliqui queant ſaneſcere, diligenter tamen, & ritè curentur.* Ne velitis, obſecro, tantum Vobis arrogare, quantum non ipſi Profeſſioni, non ipſi Naturæ datur.

Minuenda, levandaque opinio eſt; ſi ut nihil non agere

vi-

videamini, exiſtimabitis, parum Ægris profuturos, dum non quidquam præſcripſeritis. In temeraria medendi, Juniorumque propria, methodo permanebitis: & Medicina haud ſine magna Valeſcentium clade adminiſtrabitur. Mille ſunt occaſiones, in quibus licet ſit perpetuum, quod fieri debet; non eſt perpetuum, quod fieri convenit. Mille ſunt morbi, quos uſus jam confirmavit exiſtere chronicos; & in quibus miſeri potiùs Valetudinarii patientiâ leniendum eſt deſiderium; quàm ut compellatur, etiam atque etiam flagrantiore ſanitatis cupiditate langueſcere. Effatum non eó pertinet, ut evincat, morbum omnem, ubi intellectus eſt, vinci: quamquam enim non intellecti, nulla eſt curatio; non continuó intellectus debellatur. Pertinet igitur, ſi latinè loquimur, ut inculcet tum Medicinam ad præcepta fieri, quum mali fomes innotuit, nimirum *Cognito morbo facilè itur ſecundùm Artem.* Et quemquam effugient *Ovidii* carmina? de pont.

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut Æger;
Interdum docta plus valet arte malum.
Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram;
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla eſt medicabilis arte:
Et, ſi ſit; longâ eſt extenuanda morâ.

Quod ſi nec expoſitorum cauſſa putatur manifeſta; ſub oculos adduci poteſt Hydrops a vetere ſcirrho jecinoris, & a vaſis ruptis: Aſthmata, Caducus, Partus difficilis ob fœtus malum poſitum; Tabes a pulmonum vomica. Ecquid recenſeam? Moriendum eſt: quî mortis cauſſam poterit ſemper Medicina ſubigere? Ad quæſitum propiùs.

2. Medicum Naturæ miniſtrare non eſt, opera illius antevertere, aut illi, ſiquid exequi debeat; imperare. Tanta præterea inter naturales motus diverſitas eſt, ipſiuſque diverſitatis tam multiplex item varietas; ut neſciatur per quas potiſſimùm vias, aut excludendus malorum

fomes, aut revocanda ſit Sanitas. Quis igitur unquam ſalubriter operaturum ſpoponderit, quæ ſalubriter pluries operata Natura eſt? meherclé nemo, in iis præcipuè, quę tempora, coctiones, vias, vires, cauſſarum copiam non præmonſtrarunt. Deliberemus examinatiùs.

3. Ex *Hippocrate*, præter alia plurima, ſuggeruntur hæc: *Convulſione captis ſi acceſſerit Quartana, liberantur. Quibus ſunt bilioſæ dejectiones ſuperveniens ſurditas, bonum. Eryſipelas verti ad exteriora, bonum. Febris ſuperveniens Apoplexiæ, & Convulſioni, bonum. Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus, bonum, quare & ſub immodico fluxu, vomitus, aut ſanguis e naribus. Altra bile vexatis, & renum paſſionibus hemorrhoides ſupervenientes, bonum.* Eſtne, qui pro Artis arbitratu Quartanam creaverit? qui ſurditatem? qui converterit Eryſipelas, aut Anginam ad exteriora? Unam quamdam febrilem excaleſcentiam excitari poſſe, difficillimum non eſt: verùm audiatur Tozzius: *Etſi Febris juvamento eſſe ſolet Convulſioni, non tamen data opera illa concitanda eſt: non enim quod ſalubriter Natura promovere ſolet, poteſt tutò a Medico excitari ignorata præſertim agendi opportunitate, quantitate, qualitate medicamenti, atque via per quam utiliter educendú eſt.* Quantum ad fluxum immodicum offero *Freindum* in Emmenologia cap. 13. *Si revulſione quadam naturali excitetur ſanguinis vomitus, Mulier profuſis menſibus liberatur: hæc tamen Naturæ methodus non ea eſſe videtur, quam Ars imitari debet.* Quis neſciat, emetica, quum cœteroqui ob vehementem muſculorum abdominis actionem in fœtum, hunc urgere ad egrediendum ſoleant, motura potiùs menſes, quám tardatura? Cur non recitemus illud: *Sanguis quidem ſupra, qualiſcumque fuerit, malum?* Quàm fallax eſt argumentum: *Quieſcit ſanguinis vomitus, ubi menſtrua erupere: ergo ſanguis vomendus, ut ſubſiſtant, ſi nimium effluxerint!* Porro cauſſa, cur Mulier vomeret, erat ſanguis acceſſione ad vaſa uteri ſic cumulatus, ut impedimentum traduceret uſque ad ventriculum: Hoc, data

illi

illi pro lege Naturæ porta, evaneſcat oportet. Eſt igitur aliquando, quamobrem vomitum ſanguinis decernamus reſiſtentis menſtrui ſymptoma; propterea nihil mirum, ſi eo procedente, non maneat: quonam tamen ratiocinio vomitus credatur parere ſanguinis aggeſtionem ad vaſa uteri? Neque ultimus a Nobis propoſitus aphoriſmus, quamquã ſuos habeat Patronos, tacitum quoddã præceptum erit, ut Naturam imitaturi, venas ſedis aperiamus: pertinet enim ad unum, ſi placet Superis, prognoſticum: Quid, quæſo, *Tozzius* ſuper aphoriſmo? en vobis: *Advertendum, hemorrhoides ſponte naturæ tantummodo ſupervenientes utiles eſſe: secùs verò ſi aliter proritatæ, arte quavis promoveantur... Non benè quis, licet Solertiſſimus Artifex internoſcere, ac diſtinguere valebit, ut quid, quantum, & quando evacuandum ſit, rectè peragat.* Sed averſabatur quamcumque ſanguinis extractionem: ita habet: interrogemus *Sennertum*, ubi de hypochondriaca: reſpondet: *Hoc vix unquam feliciter accidit, niſi Natura ſponte eas hemorrhoides aperiat, aut certè humores eò protrudat.* Interrogemus Hoffmannum in conſiliis caſu 12. ſect. 3. reſpondet: *Inſtituti mei ratio exigit, ut proponam, qua potiſſimum ratione atrox hoc malum præcaveri poſſit: hocce fine procul omni dubio potiremur, ſi legitimum evacuationis hemorrhoidalis ſucceſſum promovere poſſemus. Sed optandum foret, ut ea nobis ſuppeterent remedia, quæ hunc cruoris per venas ſedales fluorem certo effectu, & debito tempore excitare valerent; tum enim efficaciſſimum ad plurimarum paſſionum maximè chronicarum præſervationem haberemus præſidium.* Cœterùm ſua quemque praxis edoceat. Nec Præceptores, quibus uſus ſum, ut erudirer ad manum operi admovendam; nec ipſe unquam hemorrhoidas aperiẽdas decrevi; nec fructum aliquem ab apertis aliorum imperio collegi: immo ab Hippocratis Eudomo apud quintum epidem, per Cardanum legimus: *Manus hemorrhoidibus admotæ ſunt, & vomuit; poſtea quum cancer ſucceſſiſſet, febris irruit, & non dimiſit, antequam occideret.*

Ex *Claudino*, apertio ſepiùs in fiſtulam degenerare ſolet, ſi ſcalpello fiat; idem docet *Zacutus Luſitanus*, & enarrat infeliciſſimam Juvenis mortem, quia irrita hyrudinum ter applicatarum operatione venas aperuit lanceolâ:

4. Nequeunt igitur omnes morbi debellari: *Medicus enim*, ut loquar verbis *Aretæi* de melancholia cap. 5. *Deorum potentiam anteiret*. Nequeunt quamplures; nam quò Natura perſæpè devenit, Ars eó nunquam progreditur: longè aliud eſt, illam ſequi, dum *ſtimulata* morborū fomite, *& impulſa*, *Artiſperitis*, *quæ facienda ſunt*, *demonſtrat*, uti habemus ex Hippocrate de Arte: quàm aggredi quidquid alias ſe una operata eſt: tum quòcumque vocat, ſi ſalutariter vocat, ſequamur, neceſſe eſt: ſed noſtra conſilia ſine ductu, cadent in irritum. Hæreamus in Abſceſſu: hic ſine materiæ coctione fieri nec viſus, nec fingendus: coctio naſcitur cohærentium partium qualitate, ad quam ſuperandam certum aliquod temporis intervallum eſt neceſſarium. Quis talia noverit? Pars organica, quæ fęcem ſecluſam, foraſque abigendam ſuſcipiet, ſit, oportet, infractior: quis eam definierit? Copia ſecernendæ, tolerantiam Naturæ non debet obruere: Quis fręnum injiciet, modumque ponet? *Non ſolùm in evacuationibus intereſt multum, quo die fiant, ſed & in abſceſſibus: nam ut ipſimet Hippocrati dictum eſt, habenda eſt ratio circuituum:* inquit *Valleſius* 4. de morb. popular. num. 118. Ne multa: Perfecta, imperfectave ſit Criſis, uni ſemper Naturæ tribuitur: quî poterit Medicus eſſe pars magna, princepſque quantum ad Abſceſſum generandum? Scilicet, ſpondeat perfectam criſim ſola Medici diligentia! Si voce finiendum negotium eſt, utatur vocis contentione majore, verborumque gravitate acriore, & ab Natura, vel reluctante extorqueat obedientiam. Si pharmacis, aut magis efficacia propinet, aut manu largiore; Si votis, concupiſcat ad inſaniam. Ipſe quum viæ, gradus cohæſionis inter particulas, emittendæ materiæ copia, paucis, Naturæ ingenium, haud innoteſcunt; Spectator fuerim. Si

verò

veró non pro more *invenit Natura*, uti docet *Hippocrates 6.* de morb. popul. ſect. 5. *ipſa ſibi ipſi aggreſſiones, & non edocta, nulloque Magiſtro uſa, ea, quibus opus eſt, facit:* Sed monſtrat facturam, nec faciet criſim: Sequar Ludovicum Septalium lib. 3. num. 58. & utar *lenibus remediis, quæ etiam in manu noſtra eſt ſubtrahere.* Et ſiqui efflagitent, quid de permiſſis ad irregularem curationem veſicantibus, iis non auctor ero, ut applicent: (& idem ſentio de quibuſcumque aliis) ſi nulla prorſus deſiderati abſceſſus indicia per Naturam ſuppeditentur; recidet enim, quæquæ ſit periclitatio, in medicaminis infamiam. *Tempus autem opportunum*, ait Sanctorius in methodo vitandorum errorum lib. 13. pag. 859. *quando veſicantibus debemus uti, a variis ſignis deſumitur: primum ſignum eſt, ſi viderimus Naturam habere aliquam propenſionem movendi humores ad parts extremas.* Quænam verò ſigna propendentis ad crura? *Si coxis gravitas, vel tenſio ſuperveniat.* Sed cur longa Vos ambage morer? Obtinendum a multo paucis eſt, non poſſe per artem abſceſſum fieri; ſat enim apertum, firmumque evaſit per eorum diligentiam, qui verba inter ſingula Baglivum ructant. Repetamus igitur ex Baglivo, quod ſuperiore quæſito obtulimus; (*non enim*, inquit Plato de Rhetorica, *nocet bis dicere quod benè dicitur:*) *Criſes ad articulos Natura peculiari quadam lege ſibi ſoli nota promovet, ac perficit.*

IN SUMMA

Nullum eſt Artis præceptum, ad quod compoſitus Medicus, Abſceſſum procreet ſalutarem.

QUÆ-

QUÆSITUM VI.

De Parotidibus, quæ malignas febres comitari ſolent, quid prædicendum dum comparent? Quid agendum?

NOnnullorum animis hæret, hærebitque, Parotides, in malignis febribus apparere non aliter, quàm Iris in tempeſtatibus; & de illis cantaſſe auditi ſunt illa *Claudiani*

Non ſic Virginibus flores, non frugibus imbres,
Proſpera non feſtis optantur flamina Nautis,

ut earum aſpectus Ægris, Mediciſque. Utinam ſic conſtanter habeat: vereor tamen, ne quandoque, vel ipſa Iris tantum ſuſcipiat ſceleris, quantum non Tethys fluviorum mater, non genitor Nympharum Oceanus abluat: namque infici malo poteſt, non habenda impeccabilis; venit enim e Cœlo quondam legata in cimmeriam ſpecum; & altiſſimo prehendenda ſomno erat, ni continuò diſcederet: quamobrem *Ovidius*: *Iris abit*; *neque enim ulterius tolerare ſoporis vim poterat.* 11. metam. Tranſmittamus veró Poetas, quamquam ſolent etiam per fabulas nos edocere.

2. Caligant inquirentium ingenia, quum differere ad exactum connituntur de propemodum infinita perduellium varietate humorum, quibus Parotides attribuuntur. Fit propterea, ut eorum, quæ occurunt, ad unguē omnium, expreſséque, ac minutatim ratio nequaquam reddatur. Detur igitur in quibuſdam obſervationi ſtare, ac experimentis; uti probandis, improbandiſve ſaporibus quiſque e palati ſui ſententia deliberat.

3. *Trallianus*, qui unus emeritorum Militum agmen

eſt,

eſt, de iis, quæ poſt morbos, maximèque febres, & poſt factam digeſtionem evidentem naſcuntur, habet: *Minimè exitiales promptiſſimè curantur, ſecuritatemque portendunt, imò plurimos a gravibus periculis eripuerunt.* lib. 1. cap. 34. Quis contrà audentiùs iverit? Si caput exoneratur; pacatior fit, aut ſilet omnino febris; nulla ducendi ſpiritus difficultas oboritur; cur non putandæ laudabiles? Verùm quia ſuccutiente memoriam veſtram in prim. proretic. Galeno: *Conſtat, ex Hippocrate Abſceſſus bonos eſſe, quum morbi circuitus ad inferas partes inſigniter devolvitur; quorum neutrum Parotides habent; nempe & affectu minore ſunt, & ad inferas partes non fit devolutio*: ſubſcripſerim *Riverio*, pro cujus arbitratu. *omnes Parotides a præſtantioribus Medicis ſemper ferè ſuſpectæ haberi ſolent.* Et verò ex *Zacuto Luſitano*, *licet criſis ratione eveniant; non ſunt minùs lethales, quàm febris ipſa, cui ſuperveniunt.* Atque ex *Ettmullero* artic. 2. de Tumorib. *Si oriantur in febribus malignis, aliiſque morbis* (quòd ferè ſonat, ac ſi ſunt ſymptomaticæ) *ſemper ferè ſunt ſuſpectæ, utpote quarum funeſtus eſt eventus.* Hæc ad prognoſticum ſatis.

4. Quid ſit agendum, jamjam intelligetis: *Riverius* graſſante Epidemia anno 1623. parcè, & iteratò ſanguinem eduxit maxima cum utilitate: ſed tum Parotides non illæ erant, quæ intumeſcerent, quia tantus Practicus nec alexipharmacis, nec attrahentibus eſſe auxilio potuit: apparebant poſt nonum, occidebant intra biduum accedente delirio, & motibus convulſivis. *Medici Piſaurenſes* ſalvatellam, aut ſaphenam ſecabant feliciſſimè, epidemia anno 1709., & 1711. verùm quum diuturnitas febris, tum malignitas humoris, præſidium ejuſmodi non admittunt: atque ideo non auſus eſt cum Piſaurenſibus extrahere *Lanciſius*: & *Ballonius* in prim. Epidem. pag. 14. *Sanguinis Miſſio nec impedivit*, ait, *eruptionem Parotidum, nec mortem.* Capiatur in arena conſilium.

5. Pro judicio *Valleſii*, *Graſſii*, *Severini*, & fermè innu-

innumerorum, ubi aliquo produntur tumoris indicio, nulla mora interpoſita ad ſuppurationem demúm obtinendam ignitum ferrum admovendum eſt. Enimverò, ut repetamus, quod eſt Hippocratis, loci anguſtia nequit copioſam a febrili deſpumatione decumbentem materiam admittere: quare ob tumorem prementur vaſa a cerebro reflua, & Larynx, Pharynxque, unde jugulatio: Aperiantur igitur, quia duce noſtro Sene *Si non ſuppuraverint, non valdè ſervantur.* Et pro Celſi conſilio *Si ex adverſa valetudine illud inimicum eſt, maturari, & quàmprimum aperiri commodius eſt.* Sed aperiantur, quæ ſuffocationem, delapſum ad Pulmones, malum Capitis intentant; non quæ pacatiſſimè progrediuntur, & poſt operoſum conflictum non ſine victoria Naturę, tum enim expectanda maturatio eſt. Pergamus verò.

6. Improbat *Ballonius* expoſitam methodum quí loco citato *Procurandum*, ait, *omni ſtudio, ne Parotides ſuppurent*: & per Lanciſium monemur his. *Sæpè vidimus in noſtra Epidemia iis, quorum Parotides cum magna internarum ad fauces partium tumefactione corripiebant, interitum ab uſtione fuiſſe acceleratum.* An obeſt ferrum, ſi humor per ſe malignus obſidet internas faucium glandulas, prodeſt quum externas? Sed invaſas quis divinaverit? Suppurent verò, quid tum? non eſt prorſus tuta victoria. Pictoris, aut Fullonis Ancilla apud Hippocratem, Parotides paſſa eſt, quæ optimè ſuppuraverunt; ipſa tamen obiit: Et notat *Ramazzinus* in conſtitutionibus Epidemicis, quod *Parotidibus licet ſuppuratis eadem pervicacia febres perſtabant*, quia ut ipſe opinatur pag. 63. num. 50., focus erat in ventriculo, & pancreate.

7. Eritne ſatiùs antevertere, vel revocare Catharticis? admodum. Si peccat meſenterium, unde materia maligna in ſuperiora traducitur; neceſſariam alvi ſubductionem nemo non aſſequitur, ac profitetur. Si a capite delabitur, etiam cum ſignis levaminis; cuicumque innoteſcit, aptiorem viam ob conſenſum cum inteſtinis,

obque

obque locum materiæ translationi parem, eſſe alvum. Hùc ſpectat illud Hippocratis: *Tubercula ſecundùm aures, quæ non reſidunt, neque ſuppurant: his bilioſum alvi profluvium, aut dyſenteria, aut ſedimentum urinarum craſſum, ea ſolvit.* Hùc illud Tozzii lib. 4. aph. 38. *Non ſemel vidimus brevi ſolutas parotides ingènter tumefactas egeſtionibus per alvum habitis.* Huc illud Ballonii loco cit. *Procurandum, ne ſuppurent; & tunc nec clyſteribus, nec catharticis peperceris.*

8. Fuit qui deceptus, quia non aſſecutus mentem *Hippocratis*, quando in coac. text. 201. dixit: *Tumores circa aures poſt expurgata plurima graviter olentia, acuta febre, hypochòndrio intento tardiùs excitati interficiunt:* voluit, purgationem graviter olentium plurimam futuras præmonſtrare Parotides. Sed *Galenus* in prim. proret. comment. 3. pag. 138. *Dejectionem*, ait *Alvi, quonam quis pacto generationis Parotidum ſignatorium eſſe dixerit, haud ſcio; quum potiùs modo contrario, contriſtantium humorum ad infernas partes inclinationem operetur*: quare putandum eſt, intenſionem hypochondriorum ob inanitionem nimiam impedire aliquando, quominus humores ad inteſtina perveniant: hæreant propterea neceſſe eſt, & ingruat ob ſtagnantes Mors. Siquando Parotidibus evaneſcentibus lethales dyſenteriæ, aut tabes obortæ ſunt; id non converſioni ad inteſtina, ſed malignitati maximæ tribuendum; quæ morituros, ſuppuratos, & non ſuppuratos, diarrheticos, & adſtrictos tollit.

IN SUMMA

Parotides in malignis nunquã ſunt felicioris ominis argumentum. Ne materia pedem figat in hujuſce nominis glandulis, præſtat illam purgatoriis ad inteſtina convertere. Non aperiendæ, niſi quæ ſuffocationem, delapſum ad pulmones, malum capitis intentant.

QUÆSITUM VII.

Licetne Aſciten mercuriali ſalivatione depellere? Quandonam in Paracenteſim veniendum?

SI primo Hippocratis aphoriſmo ſolicitam, affixamque dediſtis operam: & occaſionem prorſus omnem eſſe, præſertim in Medicina præcipitem, hæret, uti facultatis exercendæ cauſſa debet, alta mente repoſitum: Hanc quám difficile ſit occurrentem agnoſcere, quàm inane, poſtquã elapſa eſt, velle prehendere; veſtris Ægrotis, aliiſque cunctis Machaonicam eruditionem ructantibus, acriore, qua licet verborum gravitate ſuggerite. Videtur hodie Ars noſtra tanta humilitate vileſcere, quanta percipi poteſt maxima: creditur enim diſciplina mentibus quibuſcumque ſic accommodata, ut neminem præditum ratione deſtituat. Pro dementiam! Facultatis pars magna, & princeps eſt, Occaſionem noſſe, complecti, ſiſtere. Ecquis, niſi naturalium rerum peritiſſimus, in tantam facinoris excellentiam venerit? Illam, dum ſermonem cum Auſonio confert, audite

Crine tegis faciem? Cognoſci nolo. Sed heus Tu
Occipite es calvo? Ne tenear, fugiens.

Nonne valet Medicina temporibus? hæc qui neſcit, quid effecerit? Utinam quibuſdam quám prompta lingua eſt, tam foret præſtò conſilium! Utinam arrogantium conſiliorum diſcordia, ne ſit venenum Artium! Nihil quidquã licet prius decernere, quàm quale ſit, & quando uſurpandum, intelligatur: verò *cum rebus ipſis*, ait Seneca epiſt. 22. *deliberandum eſt; quare non tantùm præſentis, ſed vigilantis eſt, Occaſionem obſervare properantem.* Itaque

que circumſpiciendum eſt, ut eam apprehendamus: num circumſpiciet, qui oculis deſtituitur; aut qui secùs videt, quàm debet; inque numero Medicorum contendit adſcribi? Faxint Superi, ne cum perfidis, indoctiſque Sociis major quandoque ſit, ac periculoſior dimicatio, quàm cum Paganis in Areopago. Quod reliquum: Sint Medici, qui falcem imperité contrectant; ſint Ægrotantes, qui in alienam meſſem immittunt; animo non impatienti, quæ ſuper propoſita Paracenteſi, & Salivatione ſuppeditantur, excipiant. Invitus quod ſequius ſit, de meis Medicis, Civibuſque loquor; non tamen admiſſum quidquam ab iis criminatum ſcribo, ſed cautum, ne admittant.

2. Neminem præterit, morbis, vel benè perſpectū auxilium, laudabiliter nunquam opponi, ſi cauſſarum qualitas, agendique methodus quantum poteſt, apertè non ſentitur; non eſt igitur, cur ſupervacua operoſitate conficiar, ut evincam nec paracenteſim, nec mercurialem ſalivationem conſulté præcipi, quin Aſcites quomodo generatur, appareat. Jam verò illius hydropis genus eſt, a quo in tumorem præter naturam immodicum, mollemque, Abdomen excreſcit: tardanda igitur, cogendaque materia eſt. Quamobrem id? Fallitur, & longè fallitur, quicumque putat, Aſcitem omnem ab humoribus adeò tenacibus naſci, ut nequeat, quàm calorificis, ac tenuantibus debellari. Conſulatur *Hippocrates*: reddet ſanè in altero prædictionum: *Cum multum ſanguinis ſurſum, ac deorſum eruperit; & febris inſuper acceſſerit, eum multa aqua repletum iri, timor eſt: atque hic hydrops breviſſimi temporis, & ex quo pauciſſimi evadunt.* Et ubi de Genitura: *A plurima, ac meraciſſima bile corpus colliqueſcit.* Et ubi de internis affectionibus definit, vinci difficiliùs hydropem, *in quem ex alio morbo corpus liquefactum devenerit*: Et primo Epidem. ſect. 2. *Quum dolores eſſent multi, & colliquatio mala, his abſceſſus ſuccedebant, aut majores, quàm ut ferre poſſent; aut minores, quàm ut quidquam prodeſſent, ſed ſtatim recurrerent, & ad pejus conrgerent: Erant*

autem, quæ his fiebant, hæc: Dyſenteriæ, Teneſmi, Lyenteriæ, & alvi Profluvia: Quibuſdam etiam Hydropes, partim cum his, & partim abſque his. Prætereatur *Boerahave* inter Mechanicos egregius, & plurimi e Vetuſtioribus cum Galeno apud Sennertum, ac Zacutum, quibus idem arridet; Prætereatur noſter Argirenſis Fortunatus Fidelis, qui de lacte habet in contemplationibus medicis: *Mihi non rarò feliciter uſurpatum eſt: his, quæ dicta ſunt aſſentitur Rhaſis, & complures Alii, qui uſu, & peritia rei medicæ præſtant.* Et abſolvatur negotium verbis *Triſani* apud Armilleum: *Non è nuovo darſi l' Idrope per principj colerici fondenti, ed eſſere ſtato da Principi della Medicina curato con attemperanti, e cauti refrigeranti, come maggiormente nel noſtro ſecolo con l' eſecuzione di tali indicazioni ſi oſſerva felicemente curarſi per inſegnamento di tutta la Scuola moderna*: Sed quid cauſſæ, quamobrem humores hoc pacto fuſi reſtagnarint? Vim elaſticam penè amiſerunt, ideoque organa in motum vix excitabunt: Et quia ferociente bili, vel alio quovis ejuſdem ingenii liquore ſanguis liquatur, inque redundantius ſerum abit, fit, ut tenerrimis lymphaticis, viſceribuſque infractioribus Hepate, Lyene, Meſenterio inhibeatur.

3. Nec infrequentiùs Hydrops hic oritur ab Hydatidibus: Ejuſmodi Veſiculas Anatome vel infantiſſima patefecit. Sicuti plura videntur in Vetuſtatis reverentiam obſequentiùs coli; habeat ab *Hippocrate*: *Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit: his venter aqua impletur, & moriuntur*; quia, hepar, ut exponit *Galenus* obnoxium eſt generandis hydatidibus: Et apertiùs Aretæus: *Alia quædam hydropici morbi ſpecies talis agnoſcitur: in ea veſiculæ quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ in loco ubi Aſcites fieri ſolet, excitantur.* Aliter ſentire *Sennertum* non ignoro, atque hæc loqui: *Licet in ovibus, aliiſque Brutis frequenter hæ Veſicæ conſpiciantur: nemo tamen propter eas, hydrope laboraſſe deprehendit.*

hendit. Nec ex illis tantum ſeri fluere poteſt, quantum ad hydropem conſtituendum, neceſſarium eſt. Sed quum dies diem doceat, ſequamur Recentiores, neceſſe eſt; fateamurque hydatidibus ingentibus, ac plurimis Aſcitem quandoque generari: quibus ruptis effunditur lympha, *& nunquam erit* ut loquitur *Gorter* ſuper aphoriſmo, *ſtillicidii finis, atque ita tandem corpus privatum lympha moritur.* Quid verò, cur hæ veſiculæ oboriantur? Acres particulæ fibras viſcerum eo fodicant ordine, quo pulvis cantharidum: abeunt præcipuè in carneas, erodūntque aqueum humorem compellunt inde ad glanduloſas: attolluntur, viſunturque veſiculæ. Ab iiſdem particulis eruo aquoſum humorem ita quandoque turgere, ut pariat Aſciten, & magnum in hypochondriis incendium: propterea per *Sanctum juratus Oſirim*, docendos eſſe affirmo eos, qui ut hydropis cujuſque ſuſpicione invaſi, voto ruunt in Ammoniacum. Gummi hujuſcemodi promptiſſimè exardeſcit, & maximam in raritatem extenditur: quare quum cicurandi ſunt ſales, æſtuſque præcordiorum temperandus, non videtur poſſe laudabiliter uſurpari: nec ſecuram ſpondet opem, quum etiam glutinea materia opplete ſunt primæ viæ: minatur enim quemdam tumultum, & præ nimia rareſcentia, lymphaticorum ruptionem; præſertim ſi extrinſecùs apponuntur laxativa, quæ juvare non ſecùs hydropicum credenda ſunt, quàm juvant *Auriculas cytharæ collecta ſorde dolentes.* Horat. Epiſt. 2.

4. Verùm frequentiſſimam cauſſam ab majore humorum tenacitate, moleque, nemo non profitetur. Obfirmata Meſenterii, Lyenis, Hepatis oppilatione, motus liquoris in exiliſſimis lymphaticis impeditur: hinc tumor, & in viciniam compreſſio: hinc Exſudatio, vel Ruptio. Receſſum a contactu, ubi arteria cum vena, canalique lymphatico copulatur, opinor in hydropem non pertinere; quia humor eſſet ſanguineus; evaderet enim ab arteria, non rediret a lymphatico in cavum abdominis. Progigni malum

malum ex jecinore intantùm perfrigerato, ut nequeat pro ſuo munere bilim ſatis commendabilem ſuppeditare; uti ſępiùs accidere, non inficior; ſic unicè fieri, pernego. Extis innumerorum cadaverum inſpectis integrum hepar iterum, iterumque definitum eſt; aliàs Lyen inculpabilis, aliás utrumque laudabile; uno Meſenterio, vel Pancreate delinquente. Scire licet, vel decernente *Riverio*, hydropem majori vi generari ab hepate, quàm lyene; quia hic eſt membrum minùs princeps: accedat; quia non facile in hydatidas labitur; nihil quidquam perficiendo ſanguini ſubminiſtrat: quidquid poteſt, una fermè preſſione adverſus lymphatica poteſt: quæ, & hepati non negatur. Lymphaticorum refricate memoriam: ab extremis ad corporis penetralia reducunt commiſſum ſibi liquorem: ab artubus veniunt per glandulas inguinales, iliacas, meſentericas in chili ciſternam: a ſuperiore trunco per jugulares, axillareſque ad venam ſubclaviam, & portam: quæcumque preſſio excurſui opponitur, pertinet in propoſiti mali generationem. Hinc ſiquis ſcitatur, quare contumaciſſima Quartana, vel alia ejuſcemodi febris querquera, cadit quandoque in Aſcitem; habeat ex *Hoffmanno* de cauſ. morbor. ſect. 1. ea. 7. §. 36. *Pancreas pęnitùs induratum in iis, qui ex Quartana diuturna laboraverunt, ſæpiùs vidi*: Nullum ne malum digeſtioni in Duodeno: & nulla ab indurato in vicinas, ſubjectaſque partes illaudata compreſſio?

5. Aquam verò quibus affirmare licebit indiciis? recenſentur communiſſimè: en vobis: Quid ſi cutis, & ab oppoſita præſertim candela pelluceat; fibræ molliores ſint, quàm pro natura ſolent; motus velut ab injecto in ciſternam lapillo in circuli ſpeciem ſpargitur? mehercle tumor ab humoris redundantia eſt. Quid ſi tanquam in utercùlo concluſa cum *borborigmo evidente decurrit*, ut loquitur *Trallianus*: nimirum non ſine ſonitu a latere in latus devolvitur cum ſenſu imminuti, auctique ponderis pro vario poſitu, ſupino ſcilicet tumor veluti defluit ad latera;

latera, recto premitur pubes? Verò nullis coercetur aqua veſiculis, ſed cavum occupat. Tumor ab aquis incluſis in ſuis ciſtis, fallit, inquit, *Boerhaavus*: verùm Sitis perpetuó affligens ſine cauſſa manifeſta, qua nullum certius indicium putat *Cardanus* in aph. 8. ſect. Colli macies, Scroti, pedumque tumor, & abdomen procul fluctuatione inæqualiter tactui repugnans, unicuique non malè quadrato ejuſcemodi folliculos perſuaſerint.

6. Hic prætermiſſum nolim, illaudata duci opinione, qui Sitim præter Naturam urgentem, Pathognomonicum evulgant hydropis indicium. Videtur ſanè adagii loco repoſitum, & omnium conſenſione probatum

Quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
Nec Sitis eſt extincta prius, quàm vita bibendo.

Sed non omnem Aſciticum, & præcipuè non omnem, nec ſemper, habet Sitis leucophlegmaticum. Siquid mea valent ſuffragia, nulla unquam excruciante Siti plurimos Anaſarca, plurimos Aſcite multatos, teſtor: Et dum hæc ſcribo Roſariam Paſquale Monaſtriam S. Agathæ ſacram, nec ante paracenteſim, nec poſt, ſitientem offero. Si Aliorum oraculis auſcultandum; oro, ut, qui contrarium ſentiunt, unum quemdam offerant, qui tantùm quod Sitis abeſt, præcipiat, inculcetque non eſſe Aſcitem; dum in molliorem tumorem nimis attollitur abdomen, aqua fluctuat, & ab altero in alterum latus devolvitur. Videte, ne dilatato utero, & in firmum acumen aſſurgente, poſt admiſſum a longo tempore Virum, poſtque motum manifeſtum, dicenda gravida non ſit Mulier, quia cibi faſtidio, rerumque diverſarum deſiderio non correpta eſt. Conſulatur *Riverius*: reſpondebit meherclè, non ab initio *ſed in progreſſu morbi Sitim adeſſe moleſtam ob humoris ſalſedinem.* Sennertus non ſemper vult comitem: ſed *plerumque.* Quorſum multa emendicare? Quis unquam, aut auſus eſt, aut potuit definire ſingularem Aſcitis cauſſam eſſe rodentes Sales? Enim verò Sitis, quæ bibendo creſcat,

ſcat, non orietur, quàm ſalibus magis, magiſque reſolutis, ut ad Oeſophagum delati moleſtiús illum, quod ſubtiliores, afficiant: extrahuntur tamen aquæ ab hydropicis & qualitatibus, & elementis omninò variæ. Si execrabili fervore turgeſcat lympha ob propinatum medicamentum: Si præ copia redundet ob ingeſtos, verbi cauſſa, ultra fines temperantiæ melopepones: nonne rumpi vaſcula poterunt? Cur non Aſcites abſque ſiti, ſiquidem humores non ſalſi erant, ſed laudabili temperamento? Accedet Sitis aliquando, effusâ in cavitatem abdominis aquâ, fibriſque Oeſophagi areſcentibus: & augeri fortaſsé bibendo videbitur ob partam quamdam ductilitatẽ ad traducendam affectionem: Verùm nihil prorſus cauſſæ eſt, quamobrem & ſemper, & ab initio ſęviat. Paucis: Si pronunciamus, non probè perſpecta geniti morbi methodo, fallimur. Ecquid de iis, qui ut abſumant aquam, & potum religioſiſſimè omnem Ægro interdicunt; & ſalitis ſardis, garoque jubent exſaturandum? Adoleſcentes, qui medicam dignitatem, qui deplorandum Proximorum fatum, qui veſtram gloriam ſpectatis, Vos moneo, atque hoc meo jure præcipio, ne ſiqua Vos aliquando neceſſitas ad hydropicos vocabit, audentiores evadatis, ſalſa ſitientibus imperando: Sacerdotis enim Ignatii Pellegrino ſic ociſſimè perditi recordatione deterreor, & Vobis inculco, ne ad iſtiuſmodi temeraria conſilia veniatis.

7. Ubi de aqua deliberatum eſt, deſideratur ab Ægris, intelligere, Elapſane in Cavum ſit exſudatione, an pro ruptis vaſculis, aut hydatidibus; rationem omnem ſalutis, quam inhiant, hinc trahunt; propterea plurimũ intereſt, id aſſequi. Ipſe ne deſperare videar, quia curare neſcio; dabo infrà ruptionis argumenta: hic non prętermiſerim quod ab *Hippocrate* ſuggeritur, de Vict. rat. in acut. *Hydropum duæ naturæ ſunt, quorum alter ſub carne ſi fieri aggreditur, inevitabilis eſt; qui verò cum inflationibus ſit, multa bona fortuna opus habet.* Ab Aretæo: *Perpauci liberantur, idque felicitate quadam, ac Deorum*

potiùs,

potiùs, quàm Artis auxilio. Quale reputatis eſſe conſiliū? Perpetuum, firmumqne ad noſtra uſque tempora: *Pitcarnius* enim vult, Aſcitem *aut nunquam, aut caſu curabilem.*

8. Quod hactenus habui, potuit fortaſsè Vobis eſſe moleſtiæ, quia ſatis apertum, & procul neceſſitate repetitum; ſed videri alienum a propoſito non potuit. Peditem imitatus ſum Tabellarium, qui mavult divertere, ut per planum in metam ſe recipiat non fractus, quám per confragoſum, quamquam compendiarium aſcendere, ut pertingat, ſed exanimatus. Jamverò mecum pergite: Quādo humores exſoluti ſunt, nihil emolumenti poterit ſpōdere Mercurius: illi enim hujus operâ dimoventur intimé, liquanturque, ſeu acido, cui fibras liquorum adſcribimus, peſſumdato; ſeu motu inter unam, aliamque particulam vehementiùs excitato. Quid quum aut veſiculis inhibetur, aut in cavo abdominis aqua fluctuat? Si robore Solidorum Mercurius non repellitur, non urgetur in circuitum, non adigitur inter liquores; fallitur, quæquæ ſit, expectatio. Organa debiliora quum craſſiorem morbi fomitem, tum ipſum præſidium retinebunt: quare pro novis cohęrentium particularum modis admittent pejora, & præcipuè dyſenterias immedicabiles. Contendere, ut corrigatur tenax humorum omnium temperamentum partibus firmis eòdem ęqua virtute conſpirantibus, longè aliud eſt; quàm rupta vaſcula ſarcire; peculiare, & ad fęces excipiendas infelici fato accommodatū, viſcus erigere. Illud fas eſſet ab hydrargiro deſiderare; hoc non item. Si meis Vos conſiliis dedere diffitemini; credite *Sylvio*, qui ſalivationem præcipit, ubi hydropis periculum imminet; non ubi abſolutus eſt: credite *Muſitano*, qui illam vocat *inſolens medicamentum*; & probat aliorum, non ſuimet periclitatione: credite *Cyrillo* apud Ettmullerum, qui *rarum* prædicat eventum; ut, ſicuti mira ſtupetis, ita rara caveatis. Quid plures commemorem? Ex Homobono Piſone: *Quum certi ſimus de Aſcite,*

non de tumentibus ſolùm glandulis abſque effuſione aquæ: & quum aliquando morbus generetur ſanguine proclivi ad ſolutionem, abſtinendum. Nec ſi ſcirrhum hepatis, aut meſenterii, fas eſt, cauſſam determinare, in vota contraria pertrahar: Scirrhus enim, unde lymphaticorum ruptio, & duritatis ad tactum reniſus, radicaſſe credatur, oportet: quamobrem cum Gerardo Svvieten tom. 2. de ſcir. pag. 362. rem claudam: *In ſcirrhis reſolvendis ſępè ejus uſus profuit tam externus, quàm internus: ſed in ſcirrho benigno, & incipiente: ubi enim in lapideam ferè duritiem converſus eſt, & malignus fieri incipit; nullum omnino a fortiſſimis etiam mercurialibus præparatis, neque ab ipſa ſalivatione argẽto vivo excitata, levamen expectari poteſt, quia potiùs exacerbãtur omnia, & ſcirrhus citiùs in cancrum mutatur.* Quibuſdam (lamentabili tamen ſucceſſu) animũ fecit *Sebaſtianus Rotarius*: ſed quum aſſerat: *Perchè non ci sarà luogo allo ſperare del gran bene da' mercuriali nell' Aſcite, trattandoſi di diſenfiare quelle menome glandule interne dalla unione delle quali ne riſulta la ſpaventevole gonfiezza della pancia.* Et quum ſperare votum ſit, non hiſtoria pluries, & glorioſiùs ſuperati diſcriminis; quum non ſit ſingularis cauſſa morbi congeſtio in glandulis: hortor, ut nunquam mercuriali ſalivatione impetatur, undecumque ſuam trahat verus Aſcites originem. *Ravviſano*, inquit Bianchini lett. 5. *molti nell' Autore un certo genio, o traſporto per lo mercurio; ed io oſſervo nella maggior parte delle ſue opere aſſai più di teoria, che di pratica.* pag. 185.

9. De Paracenteſi Vos hæc loquar: Quum ab Hippocrate ad nos uſque nullis intermiſſa temporibus ſit, reputari, niſi injuria, non poteſt inutilis. Maximè doloroſam, ſpiritibuſque infeſtam abjeciſſent Medici, quorum ſanctione ut parcè, iteratòque aqua foras educatur, alternis, ſinguliſve diebus inſtituenda proponitur: Neceſſariam inculcat organorum vehementer metuenda corruptio. *Aqua*, inquit Celſus, *niſi emittitur, quæ contra naturam*

ibi

ibi ſubſiſtit, & jecinori, & reliquis partibus interioribus nocet. Sed quo morbi tempore (ne poſt bellum ſuppetię,) auxilium expectabimus? *Conſultum, atque factu optimum illicò purgare aquam, nec differre: nam ut moram traxit, etiam virtute conſtante vitiat interna membra, mortemque affert neceſſariam*, ex Cardano de meth. meden. cap. 98. *Feſtinandum* e conſilio *Sylvii*; *non diù nimis differre oportebit*, arbitratu *Williſii*. *In principio, & incremento morbi dumtaxat*, pro ſententia *Ettmulleri*: *Aqua nondum putrida, nec quæ diù in loco ſtagnaverit*; judicio *Boerhaavi*. Recenſerem, quàm multos vellem: ſed quorſum auctoritates emendicare, quando per Bartholinum loquitur apud Hoffmannum experientia, ſuggeritque, *Poſt ſectiones anatomicas, interiora, prçſertim omentum nunquá non conſumptum, ac putridum viſitur?*

10. Catoniano ſuperciliosæ frontis arbitrio dictis Quidam inſurgunt; & interrogant: cur Emeticis, Catharticis, Urinam, Sudoremve cientibus nullus locus? Rupta ſunt Solida? Undenam innotuit?.. Antevertatur, quantum fieri poteſt, aquæ congeſtio, quia faciliùs ſemper fuit, non admittere perniciosa, quàm excludere. Sed ubi hæc cecidit in conſpectum; nonne repetitis terebrantis acûs vulnuſculis adigetur ſolidum in fatalem laxitatem?
Si, qua duce fideliùs arripiuntur diſciplinæ, patientiam non exuiſtis, mentem a me, obteſtor, ne avertatis: Si ſciens fallo; me ſummus Medicinæ Parens Apollo ſic oderit, ut barbam totam radicitùs evellat. Quibuſcumque cauſſis aqua coacta reputatur, nullo ſecuriùs medicamine invaditur, quàm Paracenteſi, ut Multorum aliter illam aggredientium temeritas abſolvi nequeat, niſi beneficio ſecundiſſimi ſucceſſus. Plurimos hydropes, geſtæque curationis methodum & memoria, & chartis excepi. Vidi, patiminor ut id mihi arrogem, comprobari exitu documenta, quæ variis Præceptoribus excerpta, congeſſeram. De Vomitoriis ingenuè, & expertus quidẽ profiteor, ad experientiã ſcripſiſſe *Liſterum*: *Vota tantùm*

ſunt alicujus inexperti, neque a ſe, aliove quovis unquam, ut opinor, uſurpata. Eliquant humores, rumpunt vaſcula; hæc rupta magis reſerantur: quid ſi vel ſanguis evomitus eſt ab eorum uſurpatione? Quantum ad Cathartica, firmum teſtor illud *Celſi*: *Hydropicis alvum molliri cibo melius eſt, quàm medicamento.* Succum Ireos noſtratis in primis celebrem tanti mali expugnatorem, millies propinatum ſcio; Et Monacho Caſinenſi ſepties Herculem *Bovii*: nunquam tamen ſecundum exitum obſervavi. Neque uſus tartari e vino, manna, iſtiuſque generis mitiora laudabilem operam præſtitere. Siquis in Ægrum ſuã navare benevolentiam contendat, ſequatur *Trallianum* talia differentem: *Vix quidquam eſt, ſat ſcio, quod languentem magis affliget, ac proſternet etiam, quàm prolixior alvi purgatio: ſatius igitur fuerit, humorem negocium præbentem paulatim, & cum ſumma perpenſione, quàm ſemel & confertim, & violenter evacuare.* Ipſe nunquam receſſi a *Williſio*, a quo habeo, *Cathartica Aſciten ſæpè exarcerbant, & incurabilem reddunt*: nec ſine monitu ejuſdem obſervavi conſtantiſſimè Diaphoretica malo paria, in deliquia ſpirituum, reſpirationem difficiliorem, fluctuantium in cavitate liquorum æſtum Ægrotos conjeciſſe. Sed cur idem de Diureticis ſentire non liceat? *Tutto ciò*, ait citatus *Triſani*, *ci viene autenticato dalla quotidiana ſperienza, che ha fatto deſiſtere i più accreditati, ed eſperti della Medicina da ogni ſorta d' Idragogo nel curar queſto male, benchè in apparenza ſi ſtimi diminuito per quello ſgravio preſente di feroſità, tuttavolta ſciolta viapiù, e ſfibrata la maſſa del ſangue, ne ſiegue l' intumeſcenza maggiore frà pochi giorni peggio che prima.* Quis eſt, qui non caveat, dum humores reſoluti ſunt, ne ultrà diſſolvantur?

11. Humorem exonerent in abdominis cavitatem rupta vaſcula: quid propterea? Revocari ad circuitum abſolvendum per diuretica illum determinabimus? qui veniat in tantam ineptiam, nemo unus erit. Præſidiane

efficient

efficient, ut ab eo loci per poros ad renes uſque rejiciant? minimè verò: Morboſa materia fiet acceſſione redundantior, qualitate iniquior. Avertentne aliò humorem, qui erupturus in cavitatem eſt? fallaciſſimum conſilium! Longè faciliùs, & partes eliminandæ, & ipſa ibunt remedia, ubi rupta ſunt organa; quàm per renes: porrò cuicumque ſecretioni ſecundùm naturæ leges eſt neceſſaria reſiſtentia ſolidorum, quæ meherculè tardat evaſionem: quãdo patet porta, laxiorque eſt fibra; non item: quamobrem nec mirum, nec novum eſt, aquas iſtius generis ſolutis per diuretica reliquorum repagulis, obſervari cumulatiores. Nec alia ratiocinatione procedimus, ſi a carnibus receſſere veſiculæ, factæque ſunt Hydatides. Hinc quia certum eſt, fibras pro ſtagnante liquore corruptum iri; ſingulare præſidium in paracẽteſi collocandum; & alta voce cum *Paræo* profitendum: *Parum prudenter de remedio ambigi, quum eò neceſſitatis Æger redactus eſt, ut eo ſolo ipſi ſuccurri poſſit*. Et cum Cardano: *Lethale, pretermiſiſſe tanti morbi fermè unicum auxilium*: loc. cit.

12. Sed quid hinc emolumenti? Plurimũ quũ Ægrotis, tũ Medicis: Quum per poros extruſa eſt aqua, nullus dabitur corruptioni locus, ſi, ubi primùm viſa, evacuatur: ita ſi fuerit intra unius Peritonæi duplicaturam reliquis viſceribus intactis, & integro cœtera corpore: ſi ciſta veluti grandiore meliceride, aut vulgò *Bozzio*, diſtentio eſt; cohibentur preſſione, quæ adjacent, ſequunturque ad intumeſcentiam uſque aliorum membrorum; ſanè vel nunquam, vel ſeriùs omninò redit affectio: En ſpem afflictis maximam. Si paucos intra dies ab radicibus ipſis valentior effertur, prædicendum verbis Hippocratis in Coacis: *Hydrops, qui ad curationem remiſit, recurrens, deſperatus eſt.* Extumet iterum abdomen, ſpiritus ægerrimè trahitur; vetuſtiori hepatis, lyenis, meſenterii ſcirrho iraſcimur; & expenſis aliorum viſcerum muneribus indoleſcimus? Rupta ſunt vaſa: *Dum ſubitò, & confertim fit hydrops, ſemper rumpta ſunt* e Sylvio: *Subiti hy-*

hydropis generatio non aliam cauſam, quàm rupturam agnoſcit ex Hoffmano: *Si celeriter nimis malum iſtud invaſit, vas aliquod lymphaticum grande diſruptum, & non ſine ratione conjicitur*, ex Heiſtero: cur non ita ſentiendum de regenerato? En prognoſticum ad Artis gloriam: en certum Ægrotanti argumentum, quo maxima ſolicitudine ſtudeat æternitati. Sed habebit, loquar ex citato Heiſtero, *ut cruciatus quodammodo mitigentur*:

13. Aretæus poſtquam monuit, difficillimum eſſe de morbo reportare victoriam: oporteret enim *totum hominem permutare*, *quod* (utar ejus vocibus) *per Jovem nec Diis ipſis facile fuerit*; rem prorſum incredibilem proponit, & *Mirari licet*, ait, *quod mehercule magnum eſt: in aliis omninò pernicioſis affectibus Ægrotantes abjecto ſunt animo, triſtes, mortis amatores; in his verò & benè ſperant, & vitæ cupidi ſunt*; ut etiam Nos aliàs. Quò vana iſthæc perſuaſio illos perduxerit, ſi proſpero Medicorum flatu naverit? Ingenuitate duce ſcribendum, loquendumque eſt; ne victa per malum arte, videamur vel hoc ignoraſſe; vel eum decepiſſe, qui veniet ad ſupremi Judicis tribunal, neſciens & quando, & quemadmodum. Sub quolibet alio incommodo rem eſſe in difficili, quamquam ſine periclitantis deſperatione, profitemur; atque id, ut aliquid prægrandius effeciſſe judicemur: cur Aſcitis malitiam levabimus? Levet qui cęcus eſt, ideoque ſigna non benè percipit; levet qui Aretalogus eſt, ideoque profeſſionis gloriâ non tangitur: levet, qui adulator eſt, ideoque ſui fratris iniquiſſimus proditor. Eſt, quatenus amantem decipi cum laude decipiamus: ſed nunquam cum laude fit quod & Animam Ægroti, noſtramque perdit, & Medicinam.

IN SUMMA.

Mercurius, a quo ſalivatio, Aſciti ſuccurrere nullo pacto poteſt: Paracenteſis a primis morbi principiis uſurpanda: una eſt, quæ ſecurius vitæ, mortiſve prognoſticum ſuppeditet. Sitis non eſt pathognomonicum cujuſque hydropis indicium.

QUÆ-

QUÆSITUM VIII.

Utrum ad Pſoram abigendam neceſſaria Cathartica ſint, an unis utendum illinimentis?

SI vulgus incertum in diſſidentia ſciſſum ſtudia Sagaciorum deliberationes coercet, quominus emittantur; vel oppugnat clamoribus, ut nequeant exaudiri: quid quum maxima inter Peritiſſimos diſſenſione confligitur? Eſt his, eſt illis ambitioſum, ab eo non diſcedere, quem adamaverunt; propterea veritus ſemper ſum, ne ſcabiem invicem affricantes, augerent morbum factionis atrocitate. Ex Williſio Pſora vix unquam facilè, nunquam tutò ſine alvi ſubductione ſanatur: Soli ex Helmontio illitus omnem emaculant dealbando parietem. Tantum ponderis in his habet auctoritas, ut pendentes ab alieno ore compellat ad contraria ſentiendum & pro aris, fociſque dimicandum.

2. *Quid liceat neſcimus adhuc, & cuncta licere*
Credimus; & ſequimur Magnorum exempla. Ovid.
(lib. 9. metam.

Sed ut conſultè procedamus, non unam gignendæ pſoræ methodum admittendam, opinamur: hoc ſi obtinuerimus, rem laudabiliùs finiemus. Recentiorum ferè omnium arbitratu ſingularis cauſſa repetitur ab Inſectis, quibus nomen factum eſt *Syrones*, vulgò *Pellicelli*: En unum pro cunctis Hyacinthum *Ceſtoni* ad Redium: *Mi miſi intorno colla punta di un ſottiliſſimo ſpillo ad una di queſte acquajole, ed ebbi fortuna di cavarne fuora un minutiſſimo globetto bianco appena appena viſibile: e queſto globetto oſſervato col microſcopio ravviſammo con certezza indubitata*

tata, ch' egli era un minutiſſimo bacherozzolino ſomigliante in qualche parte alle Tartaruche, bianco di colore con qualche foſco d' ombra ſu 'l dorſo inſieme con alcuni radi, e lunghi peluzzi ſnello, ed agile al moto con ſei piedi, acuto di teſta, con due cornicini, o antenne nella punta del grugno... Molte ne abbiamo veduti camminare eſternamente ſopra la ſuperficie del corpo, e particolarmente nelle articolazioni, e piegature grinzoſe, e ne' minuti ſolcarelli della pelle, dove coll' acuto della teſta cominciano prima ad introdurſi, e tanto razzolan, e tanto ſi agitano cagionando faſtidioſſimo pizzicore, finchè il loro corpo tutto ſia penetrato ſotto la cuticula. Ovipera ſunt ejuſmodi Inſecta, quia ſub vitro, quo res creſcunt, viſa ſunt ovum emiſiſſe: migrant per corpora, quia plures dies vivunt extra Hominem; & ſiquando moriuntur, uti in aquis fervidis, poſſunt ova relinquere, quæ lintea in eodem lavacro ebullita inficiant, demùm exluduntur Beſtiolæ.

3. Si Beſtiolæ non arrident, ſentiatis licet, cum *Joſeph Papa*, & dicatis *Che ſimiglianti puſtule non di altronde procedano, che da un vizio particolare, e proprio, eſiſtente non già nel ſangue, non già in alcun altro de' liquidi diſcorrenti pe 'l corpo, ma nella ſola cute, e ſpecialmente nelle glandule miliari, di cui la ſteſſa cute è ripiena, dimodochè quivi, e non altrove naſca la cagione efficiente delle puſtule ſteſſe, e del prurito perciocchè quivi per la viziata ſtruttura di eſſe glandule, ovvero per qualche improprio fermento, che in loro riſegga, venga il ſangue, e la linfa a ſcompaginarſi nelle ſue interne particole, ed in tal modo vengono quivi a depoſitarſi, ed a farſi coſpicui, e attivi i ſali pungenti, i quali ſenza queſta vizioſità di eſſe glandule ſtarebbero nel ſangue, e nella linfa collegati, ed occulti, e di niuna attività.*

4. Si malum ſemper trahendum ab invaſa primùm cute foret, Inſectis attribuerem: verùm ſit, precor, quatenus mihi facultas liberè diſſerendi fiat, patienterque admittar, quamquam & longa ambage morari Vos, & nullo

videbor

videbor ordine progredi. Eſt pro conſpectu oculatiorum, Aliam eſſe ſcabiem, quæ ſequitur inabſolutam ſanguinis defęcationem: quæ Hominem prorſus integrum aggreditur extrinſecùs, omninò Aliam. Id, ſi ab *Hippocrate* ſciſcitamur, reſpondet his, quæ poſtrema ſunt verba ſecundi prænotionum: *Impetigines, & Lepræ, & Vitiligines albæ, Leucæ appellatę, quibus Juvenibus, aut Pueris aliquid horum factum eſt, aut paulatim conſpectum in multo tempore augeſcit: his non putare oportet, Abſceſſum eſſe eam papularum eruptionem, ſed Morbum. Quibus verò horum aliquid factum eſt multum, & de repente, hoc ſanè fuerit Abſceſſus. Fiunt Leucæ quædam ex lethaliſſimis morbis.* Quis hinc non intelligit, Pſoram dici Abſceſſum quando ſtatim comparet, poſtque morbi alius judicationem: Dici Morbum, quando a cute incipit, paulatim augetur, nec humores vitioſos perſuadet? Verùm *Mercurialem* audite: *Percunctabitur Aliquis a me, qua arte cognoſcendum ſit, quando Scabies erit morbus ſponte factus; quando erit Abſceſſus: hoc eſt quando erit effecta a motu critico aliquo naturæ: Modum hunc cognoſcendi docuit Hippocrates in fine ſecundi Prorheticorum, quo in loco dicebat, quod quibus Juvenibus, & Pueris efficitur Scabies, & paulatim efficitur; hæc nullo alio morbo efficitur, ſed ſpontè naſcitur: ubi verò poſt morbos, & ubi ſubitò naſcitur, tunc facta eſt Scabies non ſpontè, ſed per criſim.* Pluranè deſideratis? En *Ballonium* 1. Ephemerid. conſtitut. anni 1574. fol. 44. *Vt cutaceum vitium dicatur, jamque & fomite, & ſemine mali in cute ipſa exiſtente, Cutis morbus credatur; Tria maximè quæruntur, ut jam olim quædam primitiæ morbi, ac incunabula apparuerint; ut ejus creſcentis, augmentumque capientis notæ conſpiciantur; denique ut progreſſu temporis ſuam perfectionem, abſolutionemque accipiat. Contra verò ut Abſceſſus nomine, nota, charactereque inſigniatur; quæruntur alia tria tribus prioribus contraria.* En *Lanciſium*, qui conſultatione 17. apud Armillæum fędæ ſcabiei cauſſam definit Salinoacres

a ſanguine deciduas particulas, & addit: *Dūmodo per Contagiū prima hujus morbi ſemina non irrepſerint.* En Ramazzinū: *Scabies, aliique cutanei affectus in Morborum claſſe ſunt recenſendi quando paulatim fiunt; quando verò confertim, & præcipuè poſt aliquam ægritudinem, non Morbi nomine; ſed Abſceſſus inſigniri debent.* in conſtit. Epidem. ann. 1691. num. 28.

5. Si mentem veſtram ejuſmodi præceptiones obſederunt, nulla errandi ſuſpicione, facilè rationem eventuum poteritis aperire. Abſceſſus, licet imperfecta, nihilominus Criſis eſt; quare nihil mirum, ſi repentinò cōpareat: nihil abſurdum, ſi cutis univerſa particulis quàmſimillima figura præditis impetatur. Vermiculorum parca manus primùm ſubit, augetur generatione, fodicat cutē, papillas nerveas irritat, unde eſt Prurigo, quæ tamen, vel uno affrictu ſalis oboritur. Siquam Scabiem in proximum quemque non tranſilire videritis; aut illam a Beſtiolis non eſſe decernite; aut ab his proximi temperamentum formidari, ut etiam ab ipſa peſte manifeſtum eſt, quæ certos quoſdam non corripit. *Obſervandum eſt*, inquit Mercurialis, *proprium eſſe Scabiei humidæ, ut contagio acquiratur: & quamquam etiam Scabies ſicca poſſit contagio capi, id tamen non adeo frequens eſt.* Quamobrē id? Sub humida ſunt ſyrones, quia corpus cœterà ſanū inſiliunt: poſt acutos verò morbos, aut diuturnam Quartanam, aut nimium Peruviani Corticis uſum abſumptis aqueis portionibus non erit, quàm Siccior, & ſine Inſectis ſaltem operoſis, quia ſui generis accommodato alimento fortaſsè deſtituuntur. Siquando Pſora videbitur a primis illicibus urgere ferociùs, argumento erit, vel ſatis valere Naturam, quæ ſtimulata detrudat ad cutim quodcumque intùs adactum fuerat. Vel pro medicaminū inimicis effluxibus copioſos vermiculos in furorem compelli. Si diſparuit, ut quorumdam dierum intervallo redux credenda ſit: trahatur & ab iterato criſeos conatu, & a variis Ovulis in animalia ſurgentibus.

6. At

6. At enim primi Syrones unde habendi, quum Puellis ob difficilem dentitionem accedit Scabies, & ea ſanè, quæ Nutricibus concredatur, offeratque vermiculos? Determinare non audeo: In compertis arbitror, (& ab experimento fatebitur, cuicumque Deus quietem fecerit tunicatam,) Vermiculos traductos per lintea, per induſia, per chirothecas, immo per pallium, quod Scabioſi collo hæſerat, Scabiem tranſvexiſſe: Negare illam non poſſum, quæ a Criſi naſcitur: quid horrendi, ac execrabilis, ſi opinor a vermibus aliás corrumpi humores: aliás ab his corruptis offerri materiam magis aptam ad nutriendum, & ad ovulorum explicationem? tamen ipſa hęc ovula, hi vermiculi corruptos inter humores medii, unde trahendi? Negotium mihi facit, quám maximum, nec ullam indicare cauſſam valeo, quàm Divinam Voluntatem, cujus nutu ſingulis animalium generibus ſingulis immo unius generis partibus ſua ſunt Inſecta. In Hominibus pars, quæ vermiculis careat, fermè nulla eſt: non porus bilarius, non ſanguis, non ſemen, non ulcera canceratica, non cutis capitis: quid ſi nec pellis univerſa? Quam verò tenuerit ipſa Divinitas methodum, ut nobis vivos exhiberet; nulla eſt conjectura, quæ aperiat. Definitis organis alligata vel a Mundi procreatione ovula imaginarer: ſed neque ſtaminum explicationem nulla maſculi opera; neque ſopitam, involutamque ſimul animā fateri poſſum pro quondam jactis Philoſophiæ fundamentis: Quamobrem & opinor, & non faſtidiosè accipio opinantes, corpus noſtrum, illiuſque ſingularia viſcera ſemper extrinſecùs impeti vermiculis, qui per aerem, aliave corpora deferantur & adveniant, inquirentes, ubi condant coloniam, & ſuſtententur. Conſentiatis, licet *Levvenoekii* vitro, quo pauxillula grandeſcunt, e tritico cribellato per aera diſſeminari vermes, qui fugiunt oculos, & pruritum, ubi noſtram cutim offenderunt, exſuſcitant ardentiſſimum. Cur non, & ſimiles venerint aut ad ſcabiem generandam, aut pro ſuo quique ingenio in-

H 2 pecu-

peculiaria viſcera, quæ magis laudabile ſuppeditent, propriumque alimentum? Venenum rabidi Canis a cute in ventriculum; Cantharides in renes, ac veſicam; Mercurius in glandulas ſalivares contendit: quid quod nequeant tenuiſſima Inſecta per cutem in definita viſcera pertingere? Reſtat, ut veſtrum ſuper hoc vobis liberum relinquam judicium; ſi quæ dicta ſunt hactenus, improbatis; nec repugnem loquentibus cum *Fortunato Bianchini* Epiſt. 3. *Non ſi è mai rintrecciata la vera origine di tanti piccioli Oſpiti, di tanti interni dimeſtici abitatori del noſtro corpo, e tutti differenti nella figura, nella mole, e nell' indole.*

7. Revertar ad illud, quod mihi in hac omni eſt oratione propoſitum: ut a duplici hoſte duplex referatur triumphus, Dux eſt, auctor, & actor *Hippocrates*, quem ſequuntur, qui ſunt aſſecuti. Habet de morb. popular. 6. ſectione 2. *Latæ Puſtulæ non valdè pruriginoſæ quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem ſentiebat: Vomitus non proderant:* verò Scabies a vermiculis primúm erat; illitibus, non evacuantibus vincenda. Et libro 5. paullo poſt initium: *Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, maximè verò teſtibus, & fronte... Tranſgreſſus ad melum ubi ſunt calidæ balneæ, a pruritu quidem, & cutis craſſitudine liberatus eſt; verùm hydropicus factus, mortuus eſt.* Decubitu nata prurigo eſt; turbatus naturæ motus, repulſa ad intimiora materia, obortus hydrops. Teſtimonia & magis aperta, & recentiora, non pauca recenſerem: ſed ſupereſſe arbitror *Sennertum*, & *Ramazzinũ*: Primus *Scabies illa*, inquit, *quæ non ex contagio, ſed ex interno humorum vitio orta eſt, plerumque criticè quaſi erumpit; quem motum ſi Natura perficere non poſſit; vel in opere ſuo medicamentis intempeſtivè exhibitis impediatur, varii morbi excitantur.* Alter *Eſt ergo in Scabie, ubi liceat ſolis topicis incumbere: Eſt, ubi neceſſe ſit internis partibus proſpicere.* Quamobrem:

8. Illi-

8. Illinimenta ſubeuntibus extrinſecùs Beſtiolis inimica curationem nullo alio præſidio vel comite, vel præeunte perficient. Interna in partem Naturæ venient, ut incumbenti ſuum in munus opitulentur. Eruntne illhæc dejectoria? meherculè nequaquam. *Scabioſos centies vidimus purgatos remanente in exterioribus cutis glandulis ſcabie*, inquit Dolęus. Si Naturam rectè, ſed infractis viribus operantem ſequamur, oportet, ac ſublevemus: cur ad alvum vocabitur humorum impetus, quando per viã prorſus contrariam exturbandos ſignificat? Aqua ex incoctis herbis amarioribus cum ſalſa, & ſimilibus: vel Juſcula Viperina pro Ægrotantium temperamento, votum videntur ſecundatura. Et quum ſit oppidò rarum, Scabiem abſceſſu partam carere vermiculis, arbitor nunquã prorſus omittendos illitus, ſine quibus, *remedia quæcumque*, ait Willis, *Sanguinem, & humores evacuntia, aut alterantia in caſſum cedunt*: unde amor adeo incredibilis in cathartica, ut iis parcere, admiſſum evulgetur inexpiabile? Vereor, ne affingat furta, qui contendit punire, Sacrilegus: Et Vos

9. Moneo, ne ſulphure, medicamento fermè ſingulari, copioſiùs utamini: Et ne in tempus æſtivum omninò rejiciatis curationem, quòd locus humorum concoctioni dandus eſt. Enimverò illinimenta nec vehementiora ſint, nec applicanda ſine interpellatione, & ſecuriùs parca manu. Si acriùs impetita ſolida fuerint, corrugabuntur; & ægriùs admittent medicaminum particulas reconditos Syrones enecaturas; & locum inſenſili Perſpirationi vix dabunt: quieſcendum igitur, quoad illa redeant ad mollitudinem, hæque ſubeant. Quid quod ſulphure incruſtatus Æger labi poterit in coactam lympham, degeneremque ſuccum, quo nervi irrorantur, ac fulciuntur, unde convulſiones, aut paraliſes, aut humorum cum circuitu ignaviore calor acerrimus? Pro tempore, durandum putant, expectandaſque cycadas; non tamen ubi comparuit, malum proterendum. Retruſam Scabiem (nomen utrique certè non convenit) plurimorum criminum ream

ream faciamus, neceſſe eſt: & quum ſudationibus opportunior ſit æſtas, conſtitutum apud quoſdam, ac ſancitum eſt, nunquam hyeme affectum abigendum. Definivit Hippocrates, morbos diuturnos, qui hyeme augeſcunt, æſtate deſinere ſolitos; & contrà: propterea *Ramazzinus* docet, proteſtandum, non ſuſcipi curationem, niſi ut malum æſtivo tempore extirpetur; & *Scabiei indolem eſſe, ut hyeme luxuriet, ac magis ſęviat; æſtate verò evaneſcat, vel ſaltem miteſcat.* Verùm ſuo in ſubſellio tacere poteſt Senex; eſt enim apertiſſimum, Morbos, qui frigore increſcunt, æſtiva caliditate debilitari: ſed nihil frigus ad Scabiem; quæ apud nos eſt ſine dubio ante canem, & ſub cane ferocior: repugnabit quidem hyems ſudori, & ferventi ſanguini: ſed non acuet ſales; non favebit ineuntibus Inſectis, quæ lacuum, paludum, arundinetorum teſtimonio mirum in modum æſtivo ſub calore multiplicantur. Ecquid ſi unis vermibus attribuenda Pſora eſt? *E' uno de' maggiori errori*, inquit Ceſtoni, *quello di coloro, che dicono, che la Rogna è un male, che biſogna laſciarlo sfogare.* Temperemus a pluribus: quæcumque ſit prima cauſſa, ferè ſemper præſto ſunt Vermes, qui mora, & calore creſcunt; ideoque ſi cutis non prorſus occludetur illinimentis, prolatare curationem temeritas eſt, quæ abſolvi, niſi beneficio felicioris exitus, nequit.

10. Sicui verò curioſum Natura dedit ingenium, explicet, cur ſemen ferinam reddet Scabiem, aut Lepram pariet, quando calor, & humorum æſtuatio ſternere ſolet, ut volunt aut debellare? Cõſulatur *Mercurialis*, qui lib. 4. Conſil. 31. rem exactiùs expendit, & Antonio Milletio ſic: *Præter locos illos a Te ex gravi auctore Boetio, necnon ex jure canonico citatos, non deſunt alia plura Scriptorum teſtimonia, quibus facilè intelligitur, Caſtrationem pro lepra debellanda in uſum veniſſe. Primus quem ſciam hujus rei meminiſſe, fuit Ærchigenes Trajani principatu Romæ in magna exſtimatione habitus, qui apud Ætium*

ſcribit,

ſcribit, non facilè reperiri Caſtratum, aut Mulierem elephantiaſi captam, & ob id aliquos Ægrotantes, & Medicos audaciores factos non modò ad præſervandum, verùm etiam ad curandum, abſciſſionem teſtium non abſque fructu adhibuiſſe. Vt dubitare minimè liceat, quin Caſtratio juvet: proptereaque non ita imprudenter fecerint, quicumque pro effugiendis lepra, & ſcabie ferina, ſibi virilia aut amputaverint, aut amputanda curaverint. Hactenus Vir & medicinæ, & antiquitatum ſtudioſiſſimus: Qui ſtare ab hoc volet, finget humores ita ſemine corrumpi, ut ad ſeſe vocent tanquam ad perjucundum alimentum hujuſce generis inſecta. Mihi nihil firmum eſt ab experientia, immò jure loqui videtur admirabundus *Ballonius* in Epid. pag. 126. *Quomodo id ſit, quum Caſtrati propter eam ipſam reſectionem in aliquam elaphantis ſpeciem incidant?* Accedunt ſanè ad Elephantem album.

IN SUMMA

Pſora ſeu contagione traducatur, ſeu minus perfectæ Criſi debeat originem, nunquam indicat Catharticum. Illinimenta quocumque tempore locum habent in contagioſam, ſed cavendum, ne cutis admodum occludatur, & omnia, quæ ſolet inhibita Perſpiratio pariat.

QUÆ-

QUÆSITUM IX.

Quid Mercurius vivus ad Volvulum?

QUamquam ſingularis eſſe debet, quæ morborum cauſſis univerſim opponitur, curationis abſolvendę ratio; eaque ab Aſclepiade, ſi Celſo credimus, ad Nos perducta reputari, *Tutò*, *Citò*, *Jucundè* facere: nihilominus triplicem pro triplici Medicorum ingenio, profiteamur, neceſſe eſt. Contendit, ni fallor, ſuo quiſque doctus periculo, ſuoque ductus temperamento alienis caſibus opitulari; ſed illò tandem cadunt, quotquot ſunt, ut ſecuritatem *Moroſiores*, *Audaculi* celeritatem, jucunditatem *Cupedes* amplexentur. Placetne unum aliquem audire, cujus arbitratu Medicina operantis Naturæ conſideratio eſt? Anxia, inquit, dubitatione ſuſpenſus, opinor, opus conſulto priuſquam aggrediar: hinc trahor experimento fallaci, & periculoſo; illinc difficili judicio: ne errem; conſilium ægerrimè patefacio. Habeo ex Hippocrate, ſubtriſtem mihi quadrare faciem, ac meditabundã: Promptitudinem temerariam contemni, etiamſi felix, & valdè commoda exiſtat; Ita profeſſionem exercendam, ut ne obſim, ſi prodeſſe non potero. Habeo ex *Heurnio*, ubi ſuper Senis juramento, Medicos eſſe Deos tutelares; a *Galeno* Deorũ filios; quamobrem & ab *Herophilo*, Medicamenta Deorum manus: Cur non cunctatiùs proceſſerim, quando Deorum eſt, ire pedibus laneis? Negotiabor vitas Hominum; & falce Mortis efficiam ad ſanitatem experimenta? Medicus, qui ſufficit ad cognoſcendum, Divini Præceptoris monitu, ſufficiet ad curandum: evenietne id magis temeritate, quám conſilio, violentia, quàm facilitate? Ecquid erit *Tutò* curare? An ita ſe gerere, ut medicamina evadant *manus Diaboli*, uti loquitur *Hoffmannus*

nisi de Inſecuris remediis? non ita prorſus, ſed informã-te *Galeno* 14. method. cap. 13. *Vt tutò cures tria propria ſunt, quibus intentus ſis oportet; Vnum, primumque, ut omninò abſolutionem operis conſequaris: Alterum, ut ſicubi hoc non conſequaris, ſaltem cubantem non lędas: Tertium, ut vitium non facilè revertatur.* Quis citò abſoluturum, & perfectè quidem, opus pollicebitur? Quis non facilè reverſurum morbum ſervata jucunditate, quæ illum partem maximam generavit?

2. Ecquid ab Solis Filio, cui robur, & æs triplex, circa pectus, ut maxima ſui generis teneri fiducia, non ſine gloria venditet? Noſtra ipſorum, ait, intereſt, non imponi cervicibus onus, ſub quo concidamus, & mercemur labore contumelias: Simus præpotentes rectores, nõ viles Naturæ pediſequi: agamus, ne admittantur, vel quàm citiùs obtineri poteſt, excludantur perniciosa, quia viſæ nunquam ſunt vini heminæ mille, ſingularem aceti cotylam in priſtinam, unde deſcivit, indolem revocaſſe. Cur moras nectemus? Cur novi aliquid non uſuvocabimus, ſi promiſſis, votiſque vetera non reſponderunt? Audendo, agendoque Medicina creſcit; non iis ſenſibus, & conſiliis, quæ timidi cauta vocant: verò nihil teneremus in medicis tabernis, ſi novitatem faſtidiſſemus. Quid quod inter exempla Nos enumerari non poſſumus, auctoreſque certi cujuſdam auxilii prædicari? Plurima quamquam gravia, ſuſpicioneque pleniſſima Nobis ingenium morbi perſuadet; hoc ſequamur, quum nullum incitamẽtum ad operandum acrius datũ ſit, quàm neceſſitas. Sed quid unquam movebit, quem ſummæ virtutis exemplaria non movent? In propinandis, excogitandiſque remediis jejuni, ſterileſque frigebimus; patiemurque, ut unius Homunculi periclitatoris opera temeraria plus ægro proſit, quàm tardipes, induſtriaque dexteritas? Quem non fecerint in ardua quæquæ paratiſſimum illa Celſi: *Satiùs eſt anceps experiri auxilium, quàm nullum: Quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Multa in præcipiti rectè fiunt, aliàs o-*

 mittenda?

mittenda? Ecquid illa in primo aphoriſmorum lim'ne inculcata præceps occaſio? Utendi celeritati cum temporis velocitate certandum eſt.

3. Indignumne, cui demus patienter aures, exiſtimabimus Cupedem? minimè gentium. Cauſſa poſſet optima reputari, & quia nemo illam tuetur, perire: paucis conficiatur, ne quemquam pluribus offendamus. Ut citò, ſic ipſe fatur, quidquam a nobis fiat, neceſſaria eſt Ægrotantis obedientia: Ut tutò, reſpondens aggreſſionibus temperamentum, aut dicatur Natura: utrumque ſibi ſubjicit jucunda methodus, quum animo & documentum recipiatur, & auxilium. Horrificum illud Catharticorum, immo, & amygdalini paſtilli faſtidium, nonne ſpiritibus animalibus ita opponitur, ut rectè plus, quàm morbum, dicamus, obeſſe præſidium? Nonne evenit quàm ſæpiſſimè, ut vix deglutitum, vomitione rejiciatur? Hæc ſunt argumenta non quæ academicis debeantur, ſerviantve furoribus; ſed quæ docuit experientia, conſtantiſſima praxis comprobavit. Qui non deſipuit, illius judicio cedat fas eſt, cui cedunt omnes Medici, & hymnos cantant, ſcribuntque victoriæ carmina. *Paullo deterior*, inquit in aphoriſmis *& cibus, & potus, jucundus eligendus potiùs, quàm meliores quidem, ſed ingratiores:* uti vertit Perottus. Et in 6. Epidem. ſect. 4. *Ægrotantibus gratificationes in purgantibus, in ſermonibus, in habitu, tonſura.* Neque id ad Ægroti gratiam ſolùm, ut contendit *Galenus*, ſed etiam ejus utilitati conſulendo; quia quæ cum voluptate ſuſcipiuntur, Ventriculus amplexari conſuevit, & faciliùs concoquere; atque e contrario, quæ diſplicent, refugere ceu nauſeas, inflationes, & fluctuationes inferentia. Quorſum Ægroti quoque calculum non expoſcere, quando ſumus abſque damno, & cum magna ſpe utilitatis cõplacituri? Cur id efflagitaverit Medicina Dietetica, non etiam Pharmaucetica? Quis aliquando non vidit exactum ardentiſſimo rei cujuſdam deſiderio ſomnum, excitataſque humorum turbas, quæ vix componi potuerunt? Totus

Aſcle-

Aſclepiades, immo & totus *Celſus* in conquirendo Ægrotantis ingenio eſt: recenſeantur pauciſſima: *Medicamentorum uſum magna ex parte Aſclepiades non ſine cauſſa ſuſtulit, quum omnia ferè ſtomachum lędant: Quod contra conſuetudinem eſt, nocet, ſeu molle, ſeu durum: Natura repugnante nihil Medicina proficit*: Naturæ igitur non attinet repugnare, nec quidquam ſequi, quod obtinere nequeamus.

4. Methodorum varietas erit, donec Medici, & Ægrotantes: Id mihi conſentiatis, licet. Ratiocinatione alius alia uſus eſt; quamobrem & culpatur ab his, & laudatur ab illis: ſunt enim pauciſſimi, quibus æquum eſt mori ſententia prorſus aliena; quum omnes delectet adulatio, qua fructus medicationis auxiliorum oblectamento penſatur. Mirum quot hiſce auribus hauſi ad Ægrotantiū efflagitationem mutaſſe conſilium! Quot conſtantiores in contemplando, *quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes*! His nihil facere, non occidere eſt; & differre ſuppetias, quoad inimica materia victrix dominetur, impunitas. Quot conatibus omninò tumultuariis in metam properare videmus; & opinari, non minús in civili, quàm in medica republica peropportunum illud Juvenalis

Aude aliquid brevibus Gynaris, & carcere dignum
Si vis eſſe Aliquis?

Verùm definiendum negotium eſt; & non quolibet ex his uno ſe Litigatore, uno ſe Agonotheta, uno ſe Judice: Quare animum ſi veris implet Apollo, edicam, & repetens iterum, iterumque monebo: O quos languor habet; O Socii, quà primùm *Fortuna ſalutis mōſtrat iter, quàque oſtendit ſe dextra ſequamur*. Ne deſimus occaſioni prębenti ſe, immo oblata caſu flectamus ad conſilium, quia ſatis celeriter fit, & ſatis jucundè, quod ſine periculi ſuſpicione fit. Quod reliquum eſt: habete duo ſuffragia emeritorum Heroum, quos Judices fortaſſe nemo rejecerit. *Hippocrates* ubi de vict. ratione in acutis: *Mihi verò placet*, ait, *ut in univerſa arte mentem adhibeamus; nam*

quæcumque opera benè, & rectè tractat, ea ſingula benè, ac rectè facere oportet: &, quæ citò, citò; & quæ purè, purè: & quæ citra dolorem tractare oportet, ita facere, ut quàm minimus dolor ſentiatur. Habet Celſus. *Duo genera curationum ſunt, alia in quibus eligere tempus non licet, ſed utendum eo, quod incidit: Alia in quibus nullus dies urget; & expectare tutiſſimum, & facile eſt.*

5. Quò tandem iſthæc, & a tam longo repetita principio? in temerarium liquidi argenti uſum. Sit novitas, qua nobis vileſcunt, quæcumque repetitis periculis famam non ſuſtinent; ideoque alia conquirenda judicamus: ſit amor propriæ excellentiæ, quo nondum probata complectimur, ut præ cœteris aliquid amplius ſapere videamur; non tanti ſum, ut auſim decernere: ſed vel ratione, vel natura, vel furore cęco rapiar, Mercurium efflictè amantes, odiſſe placet. Reportarem, quàm vellem plurima, ut proferretur hujuſce metalli gloria; ſed vereor, ne tanquam a Pane percuſſus inhorreſcam: nec præſentio, geliduſne coiturus ſanguis ſit, an futurũ maſcula bilis ut intumeat, exardeatque. Supereſſe debellandis morbis planè omnibus unum evulgatur, & quod olim *Vomica liquoris æterni, cunctarumque rerum venenum* cum Plinio dictum eſt; morborum *Triumphator* noſtra tempeſtate ſalutatur! Accipite ex *Fortunato Bianchini* epiſt. 5. pag. 195. *Come Greca Panacea è ſtato così adoperato da pochi anni in Padova, in Verona, in Bologna, in Venezia, in Milano, ed è ſtato egli dato anche sẽza Medico, e ſenza ricetta per tutta la Lombardia. Leggiamo negli Autori più recenti, che il Mercurio quando s' ingoja crudo ripari più facilmente a tutti i mali venerei, alle oſtruzioni, ai meſtrui ripurghi ſuppreſſi. Diſciolga le renelle, i mucchi, i calcoli, i ſarcomi, gli ſcirri, ed altri duriſſimi tumori: Sani le fluſſioni reumatiche, l' Aſma, l' Idropiſia, l' Idrofobia: Si opponga alla Pleuritide, alla Peripneumonia, all' Epatide, e a tutti i mali inflammatorj o veri, o linfatici: E ch' egli ſia il vero rimedio curativo*

rativo dell' Epileſſia, e preſervativo dell' Apopleſſia. Che più? E' ſtato tracannato come acqua in varie coſtituzioni Epidemiche, Altri credendolo Aleſſifarmaco validiſſimo per preſervarſi dall' infezzione dell' aria: ed Altri il vero rimedio ſpecifico delle febri maligne.

6. Noſtratium Nonnullis, quos plus nimio delectavere, obſederuntque deſcriptę per argenti vivi Patronos hiſtoriæ, quin reduceretur in mentem, qui amant, plerumque ſibi ſomnia fingere, atque exitus non quales reapſe ceciderunt, ſed quales expectatio figuravit, exponere: vix objicitur Alvus adſtrictior, dum eſſe Volvulū exclamant, & nullum Mercurio præſentius auxilium. Suo ipſorum tentamento factum prædicant, quod, (atque utinam ſic res iret) e commentario didicerunt: Proſperū, felixque ſcelus vocant cum Vulgo virtutem; & ignorant Fortunæ muneribus utendum, non fidendum. Magnificis hiſce pollicitis ſe credit Æger, *cui*, pro *Aretæi* ſententia *ita viventi, mori beatum eſt.* O infelicem, ſed tolerandā credulitatem! O infeliciſſimam, ſed execrabilem pollicitationem! Habete me, & cerebro quidem non perforato, fluxo, tranſmittente quidquid accipiet; & animo non faſtidioſo, aut qui parum laudabili opinione præceptus ſit.

7. Malè morbus examinabitur, ſi nimiùm religiosè placet obſervare vocabula, & ſingularem ejus ſedem Inteſtinum Ileon opinari. *In pleniore* inquit *Aretæus*, *Inteſtino, quod Græci Colon vocant iidem affectus oriuntur, eademque ſymptomata eandem formam retinentia. Hildanus* non præter periculum affirmat inflammato Cęco, ita *Bauhini* valvulam affici, ut nihil elabatur. Quò multa? Interfari liceat cum *Sylvio*: *Incipit frequentiùs hæc motus inverſio a loco inſertionis utriuſque ductus Bilarii, & Pancreatici: rariſſimè ab ipſo Podice: ſubinde ab hac, vel illa Inteſtini tenuis parte.* Nec benè reputabitis morbum omninò alium, ſi anus tam arctè non clauditur, ut aliquid emittat. Mulier, cui nonum dedit locum *Hippocrates*

in tertio Epidemiorum ſeceſſus crudos, tenues, paucos habebat. Nec Inteſtinorum quicumque ſit dolor, & vel vomitu quidem comite, ſalutari Volvulus debet: porrò ſolet acerbiſſima Colica, & jamdudum, & recèns deglutita regerere: quamobrem per *Sennertum* iure definitum, arbitror; dolorem Iliacum differre a Volvulo, quia ſub hoc ſtercus evomitur. *Non neceſſarium eſt*, ait de dolore iliaco cap. 4. *ut ſemper Inteſtinorum dolori motus ille inverſus conjungatur, & fęces per os rejiciantur: & tunc propriè dolor iliacus, vel iliaca Paſſio nuncupatur.* Tractum videtur conſilium ab illo Hippocratis in aphoriſmis, quum *Ab Ileo*, inquit, *Vomitus, Singultus, Deſipientia, malum*: Nonne patet ad iliacum dolorem poſſe aliquando vomitū accedere?

8. Rejici ſtercora vomitione, cenſet inexploratum *Hoffmannus*; quare viſa non ſemel ab eodem materia, quæ naſo judice fęces alvi non oluit; vult *obſervationem ulteriori, & accuratiori Medicorum examini commendatā.* Vidi, ut ſincerum conſilium aperiam, præ implacabili dolore ejectam vomitu materiam colore variam, nec ſine frigidis ſudoribus, viſu languente, clyſterum excluſione; & affectui feci nomen Colica, non Volvulus. Hic adeo rarus eſt, ut *Mercurialis* arbitratu, mos fuerit, illum in ſcholis non pertractare, præſertim quia *Galeno* commonente, *vix unquam aliquis potuit Sanus evadere.* Sed habenda fides *Hippocrati*, a quo determinatur 3. de morbis *Primùm pituitoſa, deinde bilioſa, poſtremùm ſtercus emitti.* Habenda fidiſſimis Sectatoribus, qui morboſos eventus accuratiſſimè ad rejectationem uſque ſtercoris exponunt: Habenda experimentantibus, a quibus duce *Huguenoto* accipimus, aperto animalis abdomine, ligato inteſtino, cōſuto vulnere, incipere vomitum primò humoralem, deinde ſequi fęculentum; & ſectione poſt mortem in uſum vocata, Inteſtinorum tractum a ligatura ad pylorū uſque infarciri.

9. Sit Volvulus quando fęces eructantur; ſit dolor

cum

cum vomitu, ut egeſtio ſtercoris ingruat; quidnam adjumenti ſperabimus ab epoto ad aliquot etiam libras Mercurio? Quid a globulis plumbeis, quos, me non præterit, a vetuſtioris memoriæ nonnullis commendari? De his *Mercurialis*: *hoc genus*, inquit, *auxilii pluribus rationibus eſt damnandum*: de illo Sydenham: *noxam ſæpe haud contemnendam infert*: Et *Quincyus* apud Cirillum, *nunquam vidit Ileum morbum Mercurii vivi aſſumptione ſanatum*. Siqua eſt ratio, qua ſuccurrere hujuſmodi argentum exiſtimetur, a pondere colligenda. Verùm in pondere, dicam fidenter, nullum pondus. Si non obliqua, non ſinuoſa, non mirabilibus contorta gyris eſſent Inteſtina, ſed perpendiculato poſitu; quæ concluduntur, hærentque, deturbatum iri permitterem: quod tamen majori fide a plumbo expectaretur: Jamverò ſubjectis inferenda vis eſt pro ſuperficie prementis corporis: & quia Mercurius promptiſſimè dividitur in rotundas, minimaſque particulas, ſuum per medias fęces abſolvere iter poterit; Plumbei globuli non item. Accedat: Plures e firmis organis partes urgentur plumbo, pauciores argento liquido, quamquam moles medicaminum eſt æqualis: cur non ab hoc pertimeſcendum majus incommodum virtuti fibrarum? Deus Immortalis! Conatus gravium nonne deorſum propellit? quorſum judicandus urgere ad latera? Tantum mehercle poterit, quantum poſſe dabitur canalium renixu, cui pro numero partium etiam repugnat: quî fiet, ut inteſtina, quibus negatum eſt fęces excutere, ac propellere; & pro aggeſtione diſtendente in naturam revocari, valeant gravioribus motum impertire? Nondum licuit mihi demiſſum per inferna Mercurium, Plumbumve conſpicere: licuit verò non ſemel, remoratum in corpore ſubitas debilitates, ipſamque mortem accerſiſſe. Ecquid ſæpius, ac fęlicius a *Cirillo* viſum? *Fateor*, inquit, *quod ſemel vidi, Mercurium ab Iliaca Muliere aſſumptum, ex parte per alvum prodiiſſe, illam verò ex inſuperabili morbo paullo poſt obiiſſe.* Qua ratione, quo experimento ducar?

10. Ha-

10. Habeatur divinum planè refugium, & uſurpetur, *quemadmodum*, (ſunt verba Tozzii) *a graviſſimis Auctoribus felici cum ſucceſſu factitatum legimus*. Eritne par univerſis Volvuli cauſſis, ut e Noſtratibus Emeritis certi quidam amant obſtinatè defendere? Tertio quoque verbo ructaſſe audivi illud Hoffmanni: *Neque ullum facile reperire hoc ipſo præſentius, ac efficacius, quando mutuus Inteſtini Ilei ingreſſus adfuerit, licebit remedium*: *Quid*, loquar ex Juvenale, *faciam, mentiri neſcio; librum, ſi malus eſt, nequeo laudare, & poſcere; motus aſtrorum ignoro; ranarum viſcera nunquam inſpexi*; ideoque aſthmati per ſputum Ægrotantis excipiendo non deſtinavi; neque hydropico exta Capellarum applicui, ut his poſthac fumo ſiccatis, malum abſumeretur: Utarne Mercurio dum mutuus eſt Inteſtinorum ingreſſus? minimè gentium. Conſulantur Magiſtri, & non unicam eſſe ingreſſus methodũ aſſequemur: En pro cunctis *Sylvium* de le Boe: *Inteſtini pars ſuperior intruſa in partem inferiorem nunquam retrocedet*, ab hoc fortaſſe *Ettmullerus* docet, malum exaſperari, ſi excitatum fuerit ingreſſu Inteſtini ſuperioris in inferius. Cur audito vocabulo *Ingreſſus mutuus* veluti clangore tubæ audentiores facti, ruemus cęco Marte in certamina? Probandus omninò *Hoffmannus*, quia noſtro blanditur ingenio? Et unde trahemus non ſuperiorem partem intruſam? Tum demum ſi Superi annuerint, imperabo Mercurium, quum neceſſaria deſcribentur Ingreſsûs indicia: Si hoc Noſtrates præſtiterint, nedũ ſoli per me habeant ſibi Phyllida, ſed etiam mihi ſint maximi Apollines.

11. Quid ad lapſum Inteſtinorum in ſcrotum pondus a plumbo, auro, mercurio? nihil. Quid ad inflammationem, in quam aliquando tandem cadunt Iliaci, uti notum a diſſectis cadaveribus? nihil: legatur *Dolæus*, & *Ettmullerus*. Quid ad ſcirrhum, ubi tunicas Inteſtinorum medius occupavit, eas ſeparando, & cavum occludendo, ut ſcitè declarat Boerhahavus de Inflamm. Inteſtin.? nihil.

Quid ad paralyticam reſolutionem? nihil: Pars deſtituta viribus reſtitutionis, cuicumque prementi materiæ magis, magiſque ſuccumbet. Quid ad ſpaſmum a depravato ſucco nervos irrorante? nihil: ipſa fęcum deturbatio erit in perniciem; fibræ enim obſiſtente liberæ, vehementiùs contorquebuntur. In ſumma, ſingulare eſt, quum tentari fortuna poteſt, congeſtis nimirùm, duratiſque ſtercoribus. Sed quibus conditionibus? Audendo extrema, cœteris nō proficientibus; Viribus, quæ tolerent deambulationem, æquitationemve. Expendantur, oro, ſucceſſus felices; & Vos in mea conſilia venturos, mihi polliceor.

.... *Æquora teſtor*
Nereidaſque omnes: ſi fallo, naufragus illas
Experiar. Sannaz. eclog. 2.

Si vires conſtant, ſpe non cadendum; dum *credula vitā ſpes fovet, & meliùs cras fore, ſemper ait*; Uti in maxima diſcrimina non abeundum; non audent enim ultima, niſi qui deſperaverunt.

12. Nec Vos quæſo abripiat illud *Extremis morbis extrema remedia.* Remedium longè aliud a Pharmaco eſt; nam indicatur nullo manifeſto occidendi periculo. Emeticum pro muſculorum abdominis ſuccuſſione creditum eſt a Pitcarnio in exonerandam alvum pertinere: ſed quis eò temeritatis progredietur, ut offerat lethaliter evomentibus? Muſculorum actio non corrigit initos motus, ſed quicumque ſint, ſecundat, ac perficit. Locumne dabimus Veſicantibus, quia ſunt audenda extrema? Suæ ſunt Medicis cautelæ practicæ: non continuò efficaciſſimam ſpondet opem cuicumque peccato, quod unum aliquod potuit eluere: nec quod fortuna potiùs, quám arte profuit, fas eſt, ut apud conſilioſos reputetur auxilium.

IN SUMMA

Mercurius adverſus Volvulum non admittendus, niſi audendo extrema, & ſolummodo, quando fęcum cauſſa initum inverſo ordine motum periſtalticum ad inteſtina convertere, neceſſe eſt.

QUÆSITUM X.

Quid de Cathartico ſub Patechiis? Hæne ſunt diſſoluti ſanguinis argumentum?

SI quum malignis in febribus apparent maculæ, quæ apud Medicos Petechiæ nuncupātur, Catharticorum patrocinium ſuſcipere non poſſum; quin Aliqui bellum inferri ſibi, & ad iratorum contumelias provocari comminiſcantur: me nunquam amaſſe turbas, & altiſſima quidem voce, profiteor. Abhorreo ab omni litigio, & ita pacato ſum ingenio; ut, ſiqua videntur a me acriùs evulgata, reſponſa, non dicta credenda ſint. Cum iſtiuſmodi ſuſpicioſiſſimis Profeſſoribus non locuturum, omni aſſeveratione cõfirmo; nam quemcumque ſic veneror, ut nulla in eo reputem celandi conſilii ſtudia; nullam ambiguæ medicinæ calliditatem, in conſultatoriis conſeſſibus nullas, quibus veri judicium adulteratur, ſimulationes; & qua tandem difficilis, indociliſque fiat, ubi & ratio, & experientia contrarium voluit, nullam duram ſeveritatem. Aliter hunc, aliter illum ſentire, atque diſſerere, quandonam obfuit alterutrius auctoritati, doctrinæ, benevolentiæ; quoniam unus omnium labor, una omnium gloria, Ægrotantium ſanitati proſpicere? Quum nec ſatis provideam, nec ſtatuere valeam, quam demùm ingrediar viam, ut non ſolùm reipſa dicam innocenter, ſed etiam innocens habear: oſtendat quæſo aut hic, aut ille methodum, quam tenere liceat aliud ſentiendo, ſcribendo aliud: incredibili ſanè lætitia navigarem, aurâ tantæ humanitatis impulſus, quò portus oſtenderetur. Uti nolo mihi Aſſentatores, quia verum amo, dicique mendacem odi: ita nihil erit, quod magis libenter audeam, quàm pro-

ferre

ferre quæcumque videntur accedere ad veritatem. Siquis eſt, qui, ut manifeſtet prudentiſſimè ſelegiſſe Præceptorem, quem ad imitandum ſibi propoſuit, ferit ſidera vocibus; & Superos flectere ſi non datur, Acheronta movere non refugit: quî meliorem in Medicinę rationem redierit? nonne patefactis Præceptoris erroribus, ut conſtet, non eſſe tantum inſtar in illo? Si commōſtro, inviſus: ſi taceo, ſum ſceleſtus. Quid facere oportet? crimen vitem. Meam igitur contentionem placeat nō improbare, dum enitor evincere, malè *Baglivum* inter conſtantes, certaſque regulas, ad quas ſua judicia dirigat Medicus, enumeraſſe duas, quas Vobis expono.

2. *Apparentibus petechiis, nihil ampliùs in primis viis movendum: Siquidem ipſa etiam enemata eo tempore ſummopere ſuſpecta ſunt.*

Petechiæ quò tardiùs, & ferè circa morbi ſtatum erumpunt, eo meliores ſunt; ad criſim enim, & coctionem jam vergit morbus: & tunc quum apparent bezoarticis, & diaphoreticis magis, magiſque promovendæ, vitando interea, quantum fieri poteſt, alvi fluxum: Contra ſi appareant in principio morbi, malæ ſunt; inſignem namque ſanguinis fuſionem, diſſolutionemque oſtendunt.

3. En duo pertinaciſſimi animi decreta: ſub petechiis nunquam cathartica: Petechiæ ſunt argumentum febris ab humorum disjunctione: Recitantur, ut nulla eſſe queat cenſoria notatio, verba Baglivi: confirmantur exercitationis annoſæ jactantia; initur, ſed quòcumque tandem caſura, Curatio. Utinam adeſſet ante oculos exitus, erudirentur veri patientes. At enim ſi contra quàm putabatur, res cecidit; in culpa Æger, Miniſtri, imbecillis ipſa Natura conclamatur. Quæ, malum, eſt iſta tanta ſervitus; iſta tanta dementia? Et cujus, quęſo, judicio Cunctis unus *Baglivus* habendus errorum neſcius, & indubitatus? Ejus, o Superi, qui librum alium trivit nullum! Pergamus, ne noſtra quemquam prodat, & offendat oratio. Qui noviſſe deſiderat, *minus diligentem*,

minuſque ſollicitum de vero conſcribendo in nonnullis ſaltem locis fuiſſe Baglivum: adeat *Morgagnum* epiſt. 13. num. 39.

4. Quando apparent Petechiæ in principiis inſigne diſſolventium cauſſarum vim aperiunt: cur non minorem, ſi produntur in morbi ſtatu? Invadantur igitur diaphoreticis quocumq: tēpore ſub conſpectum venerint. Turgente materia purgandum eadem die, quia tardare malum eſt: quare non educendum per ſudationes, quando celerrimus petechiarum exortus ad quoddam turgeſcentiæ genus poteſt procul dubio revocari? Quid hinc? Nulla primarum viarum ratione habita eundum in alexipharmaca. Cur non auſcultandus *Galenus*, qui de ſanit. tuenda lib. 5. cap. 6. ſic: *Ubi quæ obſtructiones liberent, ante exhibueris, tum efficaciſſimum ex Theriace præſidium expectes*: Cur non *Septalius* lib. 5. num. 47. ex quo *Nemini dubium eſſe poteſt, in corpus noſtrum hæc minimè præſtari poſſe, niſi priùs inanitum fuerit corpus: non enim ad cor vires ſuas emittere poterunt, niſi meatus ſint expugati.* Cur non *Ramazzinus* in conſtitutionib. epidem. num. 54. a quo: *Hanc ob cauſſam ſuſpecta ſunt alexipharmaca in malignarum principiis, niſi ab obſtructionib. expeditæ ſunt viæ*: Ne multa: cur non ipſa Medicinæ anima ratio? mehercule ſubituris ad ſanguinem diaphoreticis, ni pateat aditus; ad tumultum res veniet; unde animorum defectiones, tormina, diarrhϱæ, deliria, inflammationes. Nullane Meſentericarum Febrium ſtipatur aliquando petechiis? Huc dementiæ, arbitror, progreſſurum neminem, ut affirmet; quum & lingua ſaburram profert, & affligit ſingultus, & in conſpectum venere Lumbrici. Quæſo quid tum? Allucinatum clamabimus *Baglivum*, qui *totam dirigit curationem in educendo per purgationes meſenterico apparatu poſthabitis diaphoreticis?* Silentium faciamus: *Baglivo* enim non cuncta *per repetitas in variis Xenodochiis obſervationes*, ut loquitur, *ſed quædam per optimorum librorū lectionem innotuere.* Sed quandoque bonus nonne dormitat

mitat Homerus? Innotuit, ni fallor, præceptum ab *Ettmullero*, qui ab aliis acceptum coarctavit: en quæ fatur: *Apparentibus Petechiis a quocumque ſtimulo abſtinendum, & ne quidem ad clyſmata, aut ſuppoſitoria eſt accedendũ, ne impediatur Naturæ motus.* Sed vel *Ettmullerus* tolerat Catharticum *in primo ferè principio*; cur ſuppreſſum eſt? Cur Alii præter Ettmullerum non conſulti?

6. Nonne aliô vocandus motus non eſt, quòd Criticus: Et frænandus alvi fluxus, quòd Inteſtina viam nõ bellè reſpondentem commõſtravere? Didici, mecumque diſcat, licet, ſi quis vult, a *Proſpero Alpino* in libro de præſagienda morte: *Etſi quandoque criticè appareant hæ maculæ, quibus plures quoque ſervati fuerint; tamen hoc rarò contingit: & illis non fidendum prorſus, ni coctionis ſigna apparuerint, vireſque maximè conſtiterint.* Et a *Daniele Sennerto*: *Apparet rariùs per modũ criſis erumpere petechias, quũ bonæ criſis & hæc conditio ſit, ut notabilis uliqua fiat evacuatio: iſta in petechiis non accidit.* Secutus propterea ſum *Ramazzinũ*, cujus conſiliũ hæret alta mente repoſitum, ſed non occultandum: *Leniter*, ait *educta humorum ſaburra in ſtomacho contenta, Natura exinde ad perficiendum opus ſuũ, faciliùs procedebat.* Quid quod trahitur e praxi *Ballonii*, de quo mira ſemper prædicat, excerpitque Baglivus? En verba 2. Epidem: *Ut jam anile ſit credere, nihil in exhantematis tentandum: immo ex tribus Pueris exhantemata paſſis, qui purgatus eſt, leviùs habuit.*

6. Quantum ad ſupprimendum fluorem, nihil eſt, quamobrem non admittatur *Sennertus*, cujus ſunt: *Quum Natura ſenſibilem humorum evacuationem per alvum inſtituat, nequaquam ea ſupprimenda eſt; niſi fortè quantitate excedat*: An exceptio non cadet in ſudorem? Nihil, quamobrem non *Gerhardus Columba* apud Hoffmannum ubi de febr. veré Petechialibus: *Omnes*, inquit, *quibus alvus copioſè ejecit, licet cum ſignis cruditatis fuerit, tandem liberati.* Nihil quamobrem non ipſe *Hoffmannus*: *Ego certè praxi quadraginta annorum*, ait, *uberiùs confirmatum*

matum habeo, rariùs ſolo ſudore, & hemorrhagia, ſed frequentiùs per diarrhæam ſeptimo, nono, aut undecimo die erumpentem ſolutos fuiſſe hos morbos. Nihil quamobrem non *Bianchini* nella lettera 4. qui habet: *Coll' eſercizio laborioſo della mia pratica, mi ſono perſuaſo abbaſtanza, che rare volte termina la Febre Petechiale col ſudore, o con altra evacuazione inſenſibile; ma quaſi ſempre con una blanda diarrea: E ſiccome non ſi da rimedio più ſicuro, che il mantenere nel principio, nel progreſſo, e nel fine del male ſempre lubrica queſta ſtrada per facilitarne la criſi: così poſſo aſſicurare, che non diaſi coſa più nociva, che reprimere la diarrea, quando incomincia, e di non promoverla ſecondo il tempo, e il biſogno.* I nunc, quicumque es, & temerè de uno *Baglivo* effuti; unum conſigna memoriæ; unum blatera; feliciſſimas per aliorum diligentiam, Petechiarum curationes adſcribe caſui; exclama donec ilia rumpantur; & Plebeculæ inculca vulgatiſſimum illud *Intus ad extra, bonum; extùs ad intrà, malum.* Amantes decipi decipies, & a Femellis crederis Hippocrates. Diſce ſi potes a *Piſone. Obſervandum eſt, pernicioſam eſſe tractionem ab externis ad interna, quæ tracta intus, relinquit, non evacuat.* Diſce a Natura, quæ, ſi plerumque criſi non ſalutari maculas offert, ut illuc materiam protrudiſſe credenda ſit; ſed victa violentiam cauſſæ indicet coactis ad petechias generandas humoribus; non admittit quod eſt trahi ab extimis ad interna; vocantur enim ad alvum, quæ tam internos, quàm externos obſident canales. Diſce demùm a ratione, quæ clamat non permittendum, ut a meſenterio veniat ad ſudationum emiſſaria per ſanguinem virus illud, cui Petechiæ tribuuntur: ſed curandum, ut per aptiorem, tutioremque viam evacuetur.

7. Nec magis tolerando implicantur errore, dum nimia ligati reverentiâ, malunt Quidam credere, quàm examinare Petechiarum generationem. Diſſentiunt, ut nihil magis, curandi methodi, quando nimirum febris pri-

mùm

mùm eſt a coactis humoribus; & quando primùm a diſſolutis. Quid ſi maculæ cum coagulatione, *non tanquam ab effectu diſſolutionis*, ut mirificè *Mazinus*, *ſed tanquam a primaria cauſſa ob numerum particularum vitriolicarum, aut aluminoſarum?* Cur ne flocci quidem pendendum judicium *Caſtelli*, dum in Lexico ſignificationem earum pro Medicorum omnium voluntate patefacit; attribuitque *fermento tenui coagulativo, & putredinali?* Cur ne illud quidem *Williſii* contendentis, ſanguinem ratione fermenti maligni *coagulari*, *ac putreſcere?* Quid ſi vel Ettmullero, *præ aliis malignis, cæteris parib. magis lentæ videntur, minuſque acutæ* Petechiales febres? num lentor cum eliquatione? Sed poterat hic ſubſcribere *Williſio*: quid verò de *Thoma Cornelio* Williſianæ laudis feliciſſimo æmulatore? En verba: *Diſſectione compertum habemus iiſdem prorſus ſignis, notiſque inuſta eſſe eorum viſcera, quos ſeu Peſtilentia, ſeu Maligna Febris peremit: quippe utrobique videre eſt, alvum, inteſtina, præcordia, & omnia planè viſcera purpureis, aut liveſcentib. puſtulis undiquaque conſperſa; ſanguinemque in dextero præſertim cordis ventriculo concretum, atque in duriuſculam maſſam coactum... ſuſpicatus ſum, omne vitium in ſanguine eſſe, mortemque ex illius corruptione pendere: corrumpi autem ſanguinem dico, quod vitali halitu pereunte evanidus fiat, facilèque concreſcat in grumos.* Nec me, nec alium quẽquam, ut arbitror, e Medicis præterit, æquales Patronos pro contraria ſtare ſententia: hinc veró nullum noſtris Baglivianis auxilium; fidentiùs enim apponunt præceptũ de diſſolutione. A celeberrimis Veterib. habere licet, variam ſub Petechiis eſſe cauſſam; pro cunctis *Valleſium* ita loquentem offero: *Animadvertendum, aliquando Febrem malignam cum Exanthematis Pituitoſam; aliquando bilioſam, aliquando etiam atrabilariam eſſe; & curationem ita variare*: Erunt fortaſſis in faſtidio voces; rem faſtidire non poteritis: Quando ſuctu ſanguis ad ſuperficiem cutis extrahitur, nequit non deſtitui compagibus;

tamen

tamen relinquit maculam: cur enata intrinſecùs pulſione, ſeroque deficiente id non evenerit? Cur inimicum certos quoſdam humores, in quo invenit loco, non figet? Erunt igitur ab utraque cauſſa Petechiæ. Sed conſulite *Mazinū*, qui rem fuſiore, & ad aures noſtri temporis accommodato ſermone proſequitur: Ipſe utar duobus verbis, quib. concludit in mechanica Morborum num. 27. *Et in utraque morbi differentia Peticulæ*: utar totidem quib. *Tozzius* poſt enumerata exanthemata, colliquationes, anxietates: *Quamquam ſæpe numero iſta viciſſim permutentur, & ancipitem conjecturam faciant, ut etiam accuratiſſimos Medicos decipiant.* Utar demùm pauciſſimis, quibus *Dolæus*: *Sanguis eodem tempore emiſſus docere poteſt, qui aliquando nil, niſi cruſtam refert coriaceam ſanguineo colore planè exutam: Aliquando verò particulæ ejus adeo a ſe invicem ſeceſſerunt, & nexu ſuo ita diſſolutæ ſunt, ut non ampliùs coire, & coagulari queant.* Adoleſcentes mei, nihil eſt, præſertim Medico, nihil obſtinatione damnabilius, nihil credulitate, nihil temeraria unius alicujus Auctoris obſervantia. *Conſilium Vobis, reſque, locuſque dabunt*. Exercete docilis ingenii facilitatem, ac diligentiam, & ad eam augendam diſciplinam laborate, quæ admirabiles, quæ raros, quæ Homines efficit humano pènè faſtigio celſiores.

IN SUMMA

Petechiæ non ita ſunt diſſoluti, ut etiam non ſint coacti humoris indicium. Semper amant cathartica, quando adſunt horum indicationes; ſed præcipuè ſi a meſenterio ſuboriuntur.

QUÆ-

QUÆSITUM XI.

Utrum Aqua debeat priùs efferveſcere, & excoqui; deinde tumultu aliquantulum compoſito exhiberi, quibus convenit, Ægrotantibus?

INſitum Mortalitati ſe, ſuaque mirandi vitium, animum cujuſque ſic erigit; ut & ſingularia, & præſertim nova, quia divinum quid præſeferunt, aggrediatur. Nemo non benigniſſimus eſt ſui Judex; & deſcendat in ſe licet, ſecumque perſæpè habitet, ſemper majorem ſe ipſe ſalutabit: quamobrem operam omnem quiſque collocat in concitanda ſui opinione apud Doctos, Indoctoſque. Hactenus quidem eſt, quatenus naturæ Mortalium ignoſcatur: ſed affectum ſtudiosé nutrire, non autem amputare, & circumcidere, quis adprobaverit? Patiamur impetus ad comparandam gloriam tanquam laborum mercedem, ſine qua nemo unus eſt, qui maximis cum laboribus exerceatur: novas inire vias ad veritatem inveniendam non liceat modò; ſed oporteat, quando preſſis Aliorum veſtigiis nihil fixi compertum eſt. Verùm fugiatur non minùs, quám violentior peſtis volandi contentio, dũ nullæ ſunt pennæ: incohibilis famæ libido ad eas cerâ compingendas traxerit, & Dedaleæ moderationis neſcios in ſortem compulerit Icariam ſub vehementi præſertim publicæ lucis æſtuatione. Quid illud in Areopago Semipaganorum auribus palpari? Quid garrire in Medicis tabernis; & ſine Adverſario furere, ac decertare? Quid falſum credulis tanquam noviter inventum inſinuare? Mihi ingenuo, ſi noſtis, liberoque Homini credite: Nulla Medicos capitalior lues invaſerit, quàm velle novitatum Architectos videri, & ſine periculo quidem, quod experi-

mento, apertiſſimaque ratione ſtabiliatur: hinc mehercle Artis averſiones, irriſioneſque; hinc pro conſultatoriis conſeſſibus, aut iracundiæ impatientes; aut clandeſtina vaniloquia; hinc in Socios errata conjiciendi mos, deteſtabile, peſtiferumque flagitium. Quorſum iſthæc?

2. Quidam e Senioribus populi Medici Catanam incolentis, ut Artem cũ myſterio faciat, facit ſine ratiocinio: Aures eorum, qui ſapientiam annorum numero metiuntur, implet dogmate veterrimo, & in ſpeciem non vano; ut nimirùm Aqua per acriorem calorem caſtigetur, quò evadat melior, ſubtilior, & ad ſubeundos, eluendoſque animalium canales accommodatior. Summam patefieri dotem exiſtimat, quia leviſſima Hippocratis decreto quum ſit, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, ignis applicatione detegitur. Præterea: Siqua gravis occurrit, talis ob admiſtum quiddam habenda eſt: & quia pro rareſcentia ſuſtinentis, imminuitur ſuſtinendi poteſtas, nam extraneum pluribus aquæ particulis incumbebat ante incaleſcentiã, cadat hoc præceps neceſſe eſt; Sané raræ ideoque pauciores eidem oneri portando particulæ ſunt impares. Cur non fiet defęcatior coctione? Nonne impura in meliorem revocatur, & calore quidem? quid ſi nulla eſt, quæ caret exoticis? Addere fortaſſe poteſt Auctores Vitruvium, Redium, Hippocratem: Primus apud Ballonium 1. Epidem. amat coctionem. Alter in conſiliis pag. 134. *Si uſi*, ait, *l' acqua calda cotta, perchè ogni acqua col cuocerſi migliora molto le ſue condizioni.* Tertius de loc. in Homine: *Opus habent*, inquit, *ut decoquantur, & excolentur.* Sed unus prodi poterat Avicennas, à quo mutuatur dogma: En hujus verba: *Scire debes quod aqua non inſpiſſatur, niſi propterea quod frigoris qualitas ſuper eam prævaluerit: aut propter fortem terreſtrium particularum miſtionem: Decoctio igitur ſpiſſitudinem removet, quę propter frigus accidit primò: deinde dum partes aquæ vehementer rarificat, ſeparantur partes graves & terreſtres, & remanet aqua pura.*

3. At

3. At enim non eſt prorſus verum, Aquam leviſſimam, omnium maximè laudabilem eſſe: quare licet tentata calore ſit, & probata, quia quantitas motûs ſui exquirit particularum numerum, & quò ægriùs excitatatur inter cohærentes, eò difficiliùs extinguitur: nihilominus fuerit ſatis levis, & ſatis noxia. *Indicium illud*, inquit Lanciſius cap. 7. de nativ. roman. aeris qualitat. *ab Hippocrate multis locis Medicorum animis inculcatum, leviſſimam nempe eſſe, ac propterea optimam aquam, quæ citò calet, & citò refrigeratur, non rarò fallaciſſimum experientia revincitur*: Et paullò ſuprà: *In lympha ex lacu ſabatino deducta videmus quod omnium fontium, qui in urbe ſunt, leviſſima eſt, ſed ſine ulla dubitatione minus ſalubris.* Quidni eveniet, ut ſubtilibus partibus veneficis, nulla ſtaterâ probabilibus redundans, calorem prõptiſſimè admittat, dimittatque? De gravi ſic habete: Si aqua rareſceret ſine tumultu, rueret in fundum, quod illâ ſuſtinebatur; ſed perturbatio elevat etiam, quæ jacent: Cur plura? Thermales calidæ infracto calore dimittunt fęces. Si de impuris igitur agendum, calore corrigi eas crediderim, quæ tenui, promptoque ad evolandum veneno inficiuntur: Cœteras validiore ſubactione, ut malæ particulæ inter ſeſe cohæreant, & mole graviores præcipitentur: Trajectu per philtrum: Admiſtis contrariis, uti rubigine ferri ad acorem demulcendum. Quod reliquum eſt: pro comuni ſenſu Panis aſſatus, & quaſi combuſtus omne penſum abſolvit: *Sufficit*, inquit *Portius* cap. 6. de aquarum vitiis emendandis, *uncea una Panis optimè aſſi ad habendam unam menſuram aquæ.*

4. Hæc de impuris: unde puras eodem jure caſtigandas accipiemus? an quia nulla inſalubribus libera? Sed omnes Catanenſes aquę maximè inſontes ſunt. Evome, Doctor mi Pumilio Picrochole, aphoriſmũ Hippocratis, *Corpora ſana difficilè ferunt medicationes*, & tute Tibi reſpondebis: per me ſcitiſſimè *Ballonius* loco citato loquitur hæc: *Bonæ coctione amareſcunt, deterioreſque fiunt.* Nonne aqua ma-

 ris

ris coctione ſalſior fit; & ipſa comunis nonne longa ebullitione abiit in lixivium? Legimus apud Auctorem libelli, cui titulus *Notomia dell' Acqua* nel modo nono pag. 85. *In un meſe, e poco meno ſe ne diſtruſſero molte, e molte migliaja di libre, e ridottaſi l' acqua a poche, era come un ranno eſpreſſo, che molto mordicava la lingua.* Legimus apud *Portium* de tuenda ſanit. Militis: *Nunquam mihi placuit* Nonnullorum *diligentia, qui aquas decoquunt, ut mala avertantur, quæ fiunt ab aqua; qua ratione frequentiſſimè aquas bonas faciunt malas. Qui interrogati, gravioreſne an leviores aquę, ſint meliores? reſpondebunt, quod cæteris paribus, meliores ſunt, quæ leviores: Et aquarum ebullientium certò certius graviora remanent nobis, cujus rei pluries periculum feci.* Legimus apud *Lanzanum* in methodo dell' Acqua fredda cap. 16. *Certamente l' affermar, che l' acqua col ſuo cuocerſi poſſa divenir più leggera, e pura; e perciò atta a migliormente paſſare per li vaſi delle viſcere naturali, non sò come poſſa ciò ſtar ſaldo, e fermo a tante valide objezzioni della buona filoſofia, a tante ſperienze, ed autorità; qualora tutte queſte manifeſtamente il contrario c' inſegnano.* Quandonam legemus publicæ utilitati editas doctrinas, quibus optimas aquas partem ſui tenuiorem inteſtino tumultu non emittere ſuadebimur?

Heu heu quò miſeros tramite devio
Abducit Ignorantia! Boethius lib. 3. metro 8.

IN SUMMA

Nulla ratio, nullaque experientia tolerat, ut commendabilis Aqua efferveat, deinde Ægrotantibus quaſi utilior offeratur.

QUÆ-

QUÆSITUM XII.

Jurene cum cibariis medicamina propinantur, an injuria? Quæ ſudorem movent, poſſuntne cum Purgativis admiſceri?

SUbit aliquorum pectora non mediocris admiratio, dum eò veniſſe Medicinam contuentur, ut quidquid ipſi fuit ſplendidæ, lucroſæque voluptatis; quidquid antiquæ venerationis, amiſerit. Enimverò ſiſtatur præ oculis, quàm neceſſaria recuperandæ, ſervandæque incolumitati ſit; quàm ſtrenuis conatibus comparetur; apparebit mehercule nihil unquam fuiſſe, futurumque præclarius. Interrogentur Artifices, nec dignam remuneratione fieri, reſpondebunt; nec eſſe vel rudioris plebeculæ reprehenſionibus liberam. Utinam liceret in tam enormis, lamentabiliſque ruinæ cauſſas inquirere! quot, quantaque patefacienda, & caſtiganda ſuppeterent! Sed non prorſum reticendum. Si fidem quammaximam ſupervacuis omnino, futilibuſque pharmacis habemus; & poſtquam illa quidem expectationem millies fefellerunt: nonne Artem, neceſſe erit, noſtra credulitate vileſcere? Quis ignorat? Eorum, quæ tractantur, magnitudo, ac præſtantia, non aliunde penditur noſtra tempeſtate, quàm ab eo, qui aggreditur. *Dives pollicitis quilibet eſſe poteſt*: ſed uti Percunctator eſt garrulus; ita magnus Promiſſor eſt credulus.

Heus fronte torva, naribus ſonantibus,
Sublimib. oculis, repando corpore,
Ipſoque greſſu Pavo qualis inambulat,
Teſtans inanem totus arrogantiam.

Adeodatus Seba in Catone Cenſorio.

Quinam omne ſe eſſe ſomniat quum ſit nihil? quinam ma-

magnifica in ſpeciem, & magniloqua *Medicina*, quando ab Hominum ſublevatis angoribus, *Muta* credita eſt? Ut æthera clamore ferias, ſi Ebur uſtum vel ſemel excluditur? Ut ampullantibus Chymicis te ſemper ſubmittas; iiſque conſentias, atque Ægris perſuadeas uno magiſterio cauſſas morborum debellari contrarias? Aut pone, quiſquiſquis es, ſupercilium, barbamque reſeca; eſt, enim, talis fiducia Cincinnatulorum: Aut fallenti ne fide, ſed quibuslibet aperi conjecturalem Artem, cui plerumque experientia non reſpondet, tam egregia non habere præſidia, quibus indubitatiſſimè ſanitati auxilietur: ne reputes, obteſtor, evulgeſque omnipotentem, ridendus enim, & inanis, ridendam eam, inanemque feceris.

2. Verùm hæc non eò dicta velim, quò Naſutuli definiant, non aliam eſſe Profeſſionem, niſi Divinę Providentiæ ordinem, quo Nonnullis traducendę vitæ ratio conſtituitur. Fateor certis quibuſdam Hominibus ſic proviſum, ut Ars ſua cenſus ſit: Artem verò nunquam ad voti finem perducere, non fateor. Quid enim? Quum nemo ſit vitæ ſuæ dominus, magnum peccabit, ut habent Theologi, quicumque poteſt arcerſere Medicos, tamen refugit: eſtne lex, quæ ſubmittat Ægrum impotenti? Sed ſpectet demùm, quò debet oratio.

3. Morbum nullo vel ſymptomate, vel morbo ſtipari, feré nunquam vidimus: quare diverſa plerumque membra moleſtiam patiuntur, manumque vocant adjutricem. Succurritur, ſi placet Superis, dum uno tempore, & in unum coacta mille præſidia ſuppeditantur: propterea chartulæ millib. explentur, ut ſuo, quodcumque ſit, muneri ſatisfaciat. Tanti eſt, hoc exequi, ut vix Medicus habeatur, qui ſecùs audeat. Una Pharmacopolarũ bilis unum, eumdemque habitum cum Ignorantibus faciet pro virore imbuente: ſibilabit deinde Populus, non multum Medicinæ hauſiſſe, qui multa nequit medicamina evomere. O (totis clamare diebus audias) *Nicolaus*

Tex-

Tezzanos, *o Joannes Gaglianos*, *quarum formula ab innumeris depromendum nartheciis aliquid efflagitabat! Felicia tempora! Mirificos Profeſſores! Cur ſentire non dabitur, corruiſſe Artem, quoniam oblivioni, atque temporis edacitati demandata ſunt omnia! Parum abeſt, quin ſaturandis pingui fimo ſolis nos dedamus; jam enim ſatisſuperque præſidiorum eſt, ſi Oleum, & Aqua quodcumq: votũ explent!* Obſtrepant, quoad aqualiculus crepet: Medicinæ, ſi ad Aretæi, Celſi, Hippocratis ingenium redeat, optimè erit. Vivitur hoc ævi, quodcumque eſt, minùs, & minùs jucundè, quàm illud Tezzani, & Gagliani victum eſt? haud ita ſané: quorſus plurima inter ſeſe diſſidentia conſarcinare? Opinor, ut ſymptomati ſimul, & morbo ſubveniatur. Accipite, ut ab ignavo, parte Hominum longé maxima, Vulgo ſeparemini: Gloriabatur quidam ita fideliter, altèque Franciſcum De le Boe Sylvium, mandaſſe memoriæ, ut poſſet ad verbum vix data opportunitate recitare. Periculum jactati laboris non ſemel fecit, & modò hanc, modò illam tractationem dixit me auditore. Evaſit ad famam deſideratam; & habitus demùm, qualis cupierat, Sciolorum eſſe, contendebat, eſſe ſollicitos de morbo, non potiùs de ſymptomate. Sed quia nemo unus fuit, a quo fidem univerſim extorqueret, objectavit continuò plurima *Sylvii* tale quid edocentia: quare nobis illud ſingulare & novum conſilium dicendum fuit; & tacendum. At conſultus Sylvius, *Exiſtimarunt multi*, ait, *nullam deberi peculiarem ſymptomatibus medicationem, tantùmque requiri in Medico ſollicitudinem de tollendo morbo, & cauſſa antecedente, nullam de ſymptomatis: Verùmenimverò ipſa experientia quotidiana oſtendit, non rarò tam gravia urgere nonnunquam, ac conficere Ægros ſymptomata, ut niſi ſuccurratur ipſis neglecto etiam ſæpiùs tum morbo, tum cauſſis omnibus ipſum actu producentibus, pereundum ſit Ægro prius, quàm ſuperetur morbus: quamobrem Medici Prudentes ad ipſa quoque attenderunt ſymptomata gravia, & Ægros valdè*

de-

debilitantia. Idemne ſonabit, conſideranda potiùs ſymptomata, quod ipſis obviameundum quando mortem intentant? Num ludibrio nos abundè non exponit fallax experimentum, præceps occaſio, in irritum perſæpè cadens promiſſio: addendum vel hoc, ut Auctores loquantur ex nobis? Reſiſtendum lumini quod ingeneravit Natura: reſiſtendum Naturæ, quæ ſimplicibus contenta, ſimplicia requirit, ut credulitatis gloria pariatur? Nonne credendi facilitas, ſtultitia eſt? Propiùs quæſitum.

4. Quale.. id.. cumque ſit Pharmacum, ſi mixtum cibis offertur, infringitur: neque unquam ſudatrix Medela, & Purgativa laudabiliter implicantur. Poſtulat id Ægroti ſtudioſiſſimè perquirenda ſalus; poſtulat ipſa, quæ non ſine ratione præcipit, Medicina. Agedum progrediamur: Uſurpamus chalybeata, & excludimus, quæ ſulphure præparantur: cur imperabimus ad ventriculi, primarumque viarum acidas ſordes corrigendas, & ingeſtorum acidis, glutineiſque particulis irretiemus? Aqua ex decocto rhabarbaro, vel ſalſaperilla, cujus eſt ad ſudoris conceptacula, & ad tubulos renum protrudere materiã, adverſus quam contendunt: cur ſaltuatim, & indigeſtam proripient? Prætermiſerim plura, ne putetis, à me deſiderari, ut hujuſce ſanctionis auctor habear: ſed oggero Præceptores longè clariſſimos; & monitos vos volo, ut horum ſtatera meum conſilium ſuſpendatis: nam quibuſdam Catanenſibus audior Practicus quando res eſt ratiocinio terminanda; quando ſuffragiis practicis, Theoreticus. Verò non illud propono, quod vobis negotium faciet, ut intelligatur; nam ſuper hoc, *& Pueri naſum rhinocerotis habent*: nihilominus accipiatis, oro, figatiſque animis, quæ miniſtro. *Ex Tralliano* lib. 4. cap. 2. pag. 347. *Oportet potiones, quotidie, facta prius coctione matutinò offerre; vel hora diei ſecunda, ſeu tertia; dum coquendi facultatem ſua munia abſolviſſe, & cibum confeciſſe olfeceris: ſumpta autem potione ab omnibus cibariis, horis plus minus, quatuor, aut quinque, abſtinere, animo ſedato*

eſſe,

eſſe, iracundia, furore, mæſtitiaque, & omnibus, breviter vitæ incommodis valere juſſis. Ex Fortunato Fideli in contemplationib. Medic. lib. 17. cap. 6. *Semper cibus cujuſcumque medicamenti vim extenuat, atque debilitat.* Ex Cardano ubi de malo medendi uſu cap. 33. *Quum cibus medicinæ permiſcetur, ſi citò tranſit, obſtructiones maximas facit, quia crudus eſt: ſi tardè, nonne auxiliari ope deſtituetur, longa coctione permutatus? Solent enim non ſolùm alexiteria, ſed & venena vim ſuam perdere ſi diutiùs coquantur: unde Avicenna: Et quum timueris veneni exhibitionem, multoties cibi plenitudo nos ſecuros reddit, quoniam veneni virtus validiſſima cibo obtunditur.* Erit, qui neget, venena celeriùs interfectura jejuno ventriculo, quàm ſociata cibariis? profectò neutiquam: cur præſidium cupediis implicitum non tardabitur? Nonne cibi Perſpirationem parumper inhibent ab eruptione, uti diſcimus a Sanctorio? quî velimus, ut per ſalſam parillam, guajacum, & alia æduliis comitata, cogantur promptiùs erumpere?

5. Illos nonnulli ex Medicis videntur imitari Rhetoriſcos, qui ingenti ſpiritu, buccisque inflatis perinde perſonant, quaſi pondus fumo dare queant; atque ut omnigena redundare literatura judicentur, timentes ne alia ſuæ ipſorum virtuti deſit occaſio, dicenda, tacendaque loquuntur, quaque *poſſunt dote placere, placent.* Utinam ne reperiatur inter nos Præceptor, qui nimio plauſu beatulus, per Cœlum curru Junonis efferatur, & Diſcipulos ſubinde moneat, ut accerſiti ad Ægros, ſemper aliquod medicamen proponant, atque ita Medicos ſe inſignes probent. *O perniciosum*, dixerim cum *Homobono Piſone* de Medico operoſo cap. 3. pag. 381. *documentum, uberrimum errorum fontem, & ſcaturiginem: o impatibilem Artis corruptionem!* Hùc recidit aliquando tandem incredibilis illa in Ægrotum cura offerendi hodie Diaphoreticum admiſſuro cras emeticum. Hùc execrabilis libido addendi ſirupos ſirupis, Theriacæ Theriacas, Balſama

 Bal-

Balſamis. Húc emendicata gloriola recitandi memoriter, & dictandi ſingulatim Tyronibus herbas, quibus debetur V. G. Aqua Antivenerea Muſitani, Decoctum amarum Batæi, aliaque plurima. Utinam tam facile foret Infirmis auxiliari, quàm bullatas haſce nugas effringere, ventiſque reliquis committere.

6. Errant, qui opinantur, me negaturum, ex duorum commixtione tertium quid enaſci, a quo ſuppetias jure nobis polliceamur. Enumerantur ſané aliqua iſtiuſmodi præſidia, ſed pauciſſima, ſed uni morboſæ cauſſæ oppoſita. Quid illud Terræ lacti comitem addere cremorem tartari? Fatuitas. Quid... Verùm ſtomacho, bilique compoſitis, dicite: Immutatne mixtio, an reſtant integra? Si alterum, cur nemini datum eſt illa revocare ad priſtinam indolem? Cur intra breviſſimum tempus ore, naribus, oculis ducibus aliud, atque aliud genitum eſſe conclamatur? Si Primum, cur deſtinare capiti, renibus, cuti quod novum feciſtis, quando illis attributum eſt ſimplex, non compoſitum? Mutent jam iſtam mentem, reminiſcãtur cędium, edoceantur ſucceſſibus, & probatiſſimis Auctoribus. Nullusne erit exiſtimationis pudor, nulla rationalis medendi methodus, nullius gravis auctoritas, quam ſequi velint? *Medicum eſſe*, inquit *Sydenham*, *& formulas præſcribere*, *quàm immanè diſtant*. Langius epiſt. 76. aſſeverat, *Deſipere eos Medicos*, *qui pluribus medicamẽtis aliquid expediunt*, *quod paucioribus tranſigi poteſt*. Si veſtra memoria forſan excidit, quod refert *Cardanus* ibid. cap. 88. meum eſto ſuggerere: *Laborabat Aulicus ulcere cruris malo; hunc Medici, ut ſæpè accidit, ſanare non ſolùm nequibant, ſed in deterius agebant periculum: tunc Judæus Principi, inquit. Si illum mihi tradideris, o Dux, ſpero firmiter me eum curaturum: ſubriſit ille: tum demum: ſi eum ſuſcipias curandum, quum nihil ex Arte medica ſcias, quid tandem acturus es? At Judæus: Emplaſtrum ex fęno illi ſuperimponam, quod fieri vix poſſit, ut quum ex tot herbis fęnum conſtet, ne illa*

ſit

ſit præſens, quæ morbum hunc curare perfectè poſſit. O quot Judæi!.... Sed, ne demus materiam Satyricis, ponamus ſalem, quo veré ſiccandi forent tumentes iſtiuſmodi Artifices. Reportarem benemultos, ſi res teſtimoniis indigeret: quare contentus ſum uno *Ballonio*, qui 1. Ephem. conſtit. 4. *Decoctum*, ait, *ligni guajacini commendant, quòd eo proliciantur ſudores: ſed ei decocto Turpetum, Colocynthidem, folia Sennæ, Agaricum adjiciunt. An hoc convenienter? Contrarii motus ſunt.* Nonne quod promptiùs reſolvitur, & potentius eſt, reliqua ſecum rapit? nemo ſané eſt, quē prætereat, Mercuriū dulcem, ſi replicetur unus, moturum ſalivationem: ſi cum Catharticis, in dejectionem incubiturum, non evaſurum ad oris glandulas. Ecquis non profitetur, medicamina niſi in actum compulſa, non operari, idque totum cohærentiæ partiū deberi? hæc varia eſt pro corporum varietate; quî evenerit, ut quæ diſſentiunt illiciis, æqua virtute ventriculi, æquali tempore diſponantur? Caſtigemus, circumcidamus, conemur radicitùs evellere damnabile ingenium, de quo ſic *Redi* in conſiliis: *Abbiamo una maladizione addoſſo, che quando nelle noſtre ricette non iſcriviamo quelle belle parole:* Miſce, & fiat potus, *ci pare di metterci di reputazione, e che il Volgo poſſa credere, ehe la noſtra gentiliſſima Ciurmeria non arrivi a ſaperne tanta di preſcrivere un medicamento compoſto di varj, e peregrini ingredienti, abili fra tutti a ſoddisfare pienamente a tutte quelle diverſe infermità, che in diverſe parti del noſtro corpo ſon credute tenere la loro reſidenza.* Quæ Meledictio fuerit & ſalutaris Ægrotantibus, & Medicis glorioſa?

7. Naturam, o bone Auguſtine, cujus Miniſtri ſalutamur, ut nunquam liceat imitari? Docuit non ſemel Sudorem, & Diarrhæam exitu progredi ſecundiſſimo. Vidimus poſt exturbatas alvi fęces feliciorem ſudationem, & poſt hanc feliciùs illas egeri; cur pro arte decoctum ex purgativis ſimul, & ſudatoriis eadem præſtare non

 vide-

viderimus? O quot, quantiſque nos implicat erroribus theoreticorum dogmatum nimiùm religioſa conſideratio! Habeo Vos, habeo *grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet*; ſed enixè precor, ut conſulatis annoſiores, diligentioreſque Miniſtros; mehercle noveritis raro admodum concedi, ut arte patremus, quæ per criſim evenere: a me ſuper hoc dictum eſt aliàs: repetam properatò: Critica Cholera nemini unquam ſuaſit catharticum ſimul, & emeticum, nam Vomitus diarrhæas compeſcere conſuevit. Quid de vomitu ſub renum calculo, & in utero gerentibus? petentne vomitoria? apagè: in mictum cruentum, atque in abortum pertinebunt. Notetur unum aliquod felix factum, quid propterea? notatur *anne aliud quàm*

Sidus, & occulti miranda potentia Fati? Juven. ſat. 7.

Sudatoria ſunt præcipuum fluentis alvi remedium; ideoque ſi Natura ad acerrimam, ultimamque virtutem exercendam acta, vias, & præcipitanter quidem, init omnes; nihil eſt, cur eam imitemur; illud enim non eſt opus cōſilii, ſed furentis audaciæ. Neceſſitas deliberationem nō admittit; & nihil exempli eſſe debet in eo, qui præter omnem expectationem audax, & penè ſupra vires pugnax efficitur. Si poſt exoneratam alvum, Inteſtinorum fibræ contrahuntur, quia ſpiritus illùc ſtercoribus advocati in priorem obſiſtentiam non offendunt, denſetur, oportet, alvus: quid mirum ſi ab hacce denſitate laxitas cutis exorietur? felicius igitur erumpet a fecum deturbatione. Sed quomodo felicior poſt ſudorem egeſtio? Nervi per quos veniendum ſpiritibus aliquibus eſt ad muſculos abdominis, tunicaſque inteſtinorum, liberentur, premente materia, ut hæc per cutis porulos abigatur: nonne hi promptiùs ferentur, quò feces efflagitaverint? Cur non poſt ſudorem dejectio ſtercorum? Hæc verò ſi facienda teruntii ſunt, miſcenda diaphoreticis cathartica obtinere non poterunt; ſed ad ſummam, incipiendum quandoque a ſudatoriis, pergendum in curationem deji-

cientibus,

cientibus; quo documento nihil ſi Medicos ſpectetis, inſipientius, nihil, ſi Ægrotantes, iniquius.

IN SUMMA

Illaudatum conſilium eſt, admixta cibis propinare præſidia. Illaudatius conſarcinare plurima, quæ partium cohærentia, figuraque diſſentiunt, ut variis opitulentur affectibus. Illaudatiſſimum ſudatoria ſociare catharticis.

QUÆSITUM XIII.

Dandane Salſaparilla ſine medulla eſt? China, Guajacum, & idgenus alia proſuntne Tabidis, quod pinguefaciant? Quid Chalybs in Scirrhum Jecoris?

ENimverò ſic res habet: Qui, ut aliquid fideliter trahat, certis quibuſdam ad imitationem ſelectis ingeniis immoratur, plerumque immoritur: ratus enim optimum, excepta ſemel ſemina origini ſimilia prodire, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgere; operam impendit omnem, ut boni Cultoris nomen demereatur: quamobrem quod teneræ committitur ætati, & deſcendit in animum altiùs, & adhæreſcit tenaciùs. Ebiberunt jam uſque ab *Amato Luſitano*, quem continuò offerunt, ubi de Introitu Medici ad Ægrotantem: *Sermones, Figuras, Veſtitus, Tonſuras, Ungues, Odores Ægro grata eſſe decet*: ſuſpenderunt lance non æqua conſilium,

&

& vel Hippocraticum eſſe definiverunt, Noſtriſque conſignatum curavere, Hippocratem delineant tanquam alterum Cyrum, quem, Xenophontis enarratione, corporis ornatu adeò delectatum ſcimus; ut, quod ſupereſſet poſt luxum veſtium incredibilem, infucaretur. Hinc Milites ad regios mores compoſiti, quæ imbellium feminarum ſunt, argumenta virtutis effecerunt. Utinam ejuſcemodi Medicos digito moſtrari non daretur! Utinam inter Vos mearum prælectionum Auditores, nemo ſit, cui talia non quàmmaximè arrideant! Ipſe non aliud ſuggeram, quàm *Amati* documentum eòdem cadere, quò illud *Ovidii* ad erudiendum Amantem: En verſus ex 1. de Art.

Munditiæ placeant ....
Sit benè conveniens, & ſine labe toga.
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes.
Nec vagus in laxa pes Tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonſura capillos.
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues;
Inque cava nullus ſtet Tibi nare pilus.
Nec malè odorati ſit triſtis anhelitus oris.

Quid cauſſæ, dicite ſultis, cur non obtemperabimus ſagacioribus vitæ magiſtris Philoſophis, qui ad Mulieres relegant Juventutem plus æquo in curanda cute operatam, & inſolentiùs in veſtium cultu geſtientem? Cur non conſilioſiſſimis Politicis, qui nimiam ornatûs diligentiam, perquiſitum ſplendorem, immo & eximiam præ ipſa Naturę munificentia pulchritudinem, evulgant mentis hebetioris indicium? Cur demùm non *Hippocrati*, ubi nullam patitur Interpretum explanationem, nimirùm de decenti ornatu: En quæ habet: *Quamvis fuerint ſplendidè ornati, multo magis fugiendi ſunt, & a conſpicientibus odio habendi: Qui verò contrario modò ſe gerunt, frugi Homines judicandi ſunt, quibus non eſt excogitatus apparatus, neque ſuperflua curioſitas.* Medicamne Majeſtatem decebit arbitratu veſtro non tragicum ſyrma, ſed paludamentum?

Omninò

Omninò ſecùs credet, quicumque æquis oculis aſpiciet, quæ per *Martialem* expono

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia ruffis,
Et placet hic Pueris, Militibuſque color.

Si Reginæ, roſarumve aquam non olebunt veſtræ manus, nec Ægrorum hypochondria diú contrectare, nec palpare brachium licebit? Erumpant radii veritatis, non effluxus odori. Non caneſcant amylo calamiſtrati capilli, ſed excutiatur librariç pulvis; ne plures, pluresq: codices, & perpetuò quantum ad unam, eandemque paginam verſutè adaperti in ſcænam vos e Zothecula producant; ut omniũ linguis, calamiſque vapuletis; & debeatis Orbi Univerſo ludibrium. Curate, ut ſede in una conveniant dotes & judicii, & ingenii; aliàs evulgabimi per ſatyricum nescio quem *Maximi braſſicæ ſcapi intus duri, corticem teneriores.* Muliebrem in morem exornari, mellita dictionis illecebra ſermones aſpergere; poſtremùm pumice levigari, hoccine eſt chartis impalleſcere? (tur. rer.

O miſeras Hominum mentes, o pectora cæca! Lucret. 2. de na-

Illaudatum ejuſcemodi ingenium in ipſa medicina exercenda, quos invaſit, non dimiſit: quamobrem Salſaparilla viſa eſt, offerri debere ſine meditullio: Et quia legimus in aphoriſmis *Magnitudo corporis Juventæ quidem nec indecens, nec illiberalis: Senectæ verò inutilis, & deterior parvitate*: Guajacum præ cœteris, & China præſcribuntur, ut corporis habitus fiat laudabiliter pinguis. Qui moribus prodeſſe ſtuduimus, non rectam medendi methodum caſtigamus; non enim inquirimus, ut loquar cum Juvenale Satyr. 1.

.... *Quid agant Venti, quas torqueat Vmbras*
Eacus: unde Alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ; quantas jaculetur Monychus ornos.

ſed præcepta miſcemus, quibus impoſito docendi muneri ſatisfaciamus.

2. Quidquid ad nos deportatur ab Indiis, priús tabida conſumptum vetuſtate langueſcere, quám infirmita-

tibus

tibus opponatur inter indubitata reponimus: quamobrem nihil quicquam miramur, ſi fallit Promiſſores, fallit & noſtram expectationem. Sitne Siculorum libido, an neceſſitas, auxiliatrices herbas aliunde requirere; non ſum, qui ſeveriore contendam ſtatera ſuſpendere: ſed qui profitear nõ aliorum fide firmiùs aperiri alienigenarum virtutem, quàm ab ſoli fortunatioris Accolis, aut ab Traductoribus. Quotquot horum placebit, conſiliatores audite, nemo dixerit, eſſe in medulla ſalſæ, quod ejus cortici reluctetur. Legerunt apud *Sennertum* lib. 4. par. 4. cap. 15. *Qui ſumptui parcere nolunt, & decoctum efficacius expetunt, eos ſolum corticem, ut qui efficacior radicis pars eſt, ſumere; medullam verò interiorem abjicere debere*: Hinc ſibi perſuaſum habent, medullam obeſſe virtuti corticis. Verùm deſipiant, neceſſe; eſt aut qui talia ſuppeditant ad rem evincendam; aut qui aliud omninò eſſe conſilium *Sennerti*, mecum ſentiunt. Ad explendam definitam copiam ſalſæ plus impenditur ſi cortex tantùm accipitur; quám ſi cortex, & medulla. Cortex eſt efficacior radicis pars: quid propterea? Medulla ejus viribus adverſatur? apage. Et veró ſi tum putatur ſalſa commendabilis, quũ aquam inficit colore vini rubri turbidioris, ut loquitur *Cardanus*, & conſentit *Cyrillus* apud Ettmullerum, aſſeverantiús & oculatus quidem teſtis dico, aquam ab incocta una medulla minùs, & non aliter tingi: quod pluries *Pharmacopola Ignatius Gambini* medicarum per Nos materierum Examinator demonſtravit: quare procul timore præcipite, ut coquantur cortex, ac medulla; hæc enim probato *Ettmulleri* judicio, conſtat particulis magis quidem glutineis, non tamen ſine volatilibus pariter, atque ſubacribus. Nec eò terrere vos debet glutinationis conſideratio; ut ſi decocta non fuerit, ſed benè, perque ſpeciem pulveris comminuta, illa prorſus abſtineatis. Tentando diſcite, indigneturne ventriculus, an pacatè complectatur: indignanti ſuccurrite per vividiorum ſodalitiũ. Utor comitante cinnamomo: Alii radice Aronis; Alii mo-

nitu

nitu *Septalii* tertiâ, vel quartâ parte ligni guajacini. Verumne tamen ligno idgenus indico ſalſam promptiùs obedire ventriculo? Ex *Fallopio*: *Imbecillior certè eſt ligno, habet tamen ipſa vires, quibus ſuperat guajacum, & eſt quod ſi poſt ſuperatum gallicum reſtent ulcera, rhagades circa ſedem, duplo citiùs ſanat hæc, quàm lignum indicum*: Ex *Mattiolo* habemus: *Hoc ego aſſerere poſſum, nonnullos a me eſſe curatos, morbo gallico affectos, qui guajaci decocto pluries epoto antea curari non potuerunt.* Plerumque diſſolvitur ægriùs, quod particulis tenaciùs unitis conſtruitur; propterea nihil ſuper hoc determinans, hortor ut rem examini commiſſam curetis: *fient* enim, *fient iſta palam, cupient, & in acta referri.* Juvenal. ſat. 2.

3. Nunc agitè, quæ noſtri pars altera cępti eſt, expendamus. Quicumque ratum habet, quód *Craſſare* ſonat ſemper *Pinguefacere*, aut *Saginare*, nunquam *Denſum facere*: deſtinet Chinam excolendo vultui, hunc enim alloquens Gervaſius, *Faciei cutem*, ait, *ſic pulchram efficit, ut ſi ejus vires Mulieribus innoteſcerent, cariore pretio ſine dubio venderetur.* Riſu excepi opinantes apud *Sennertum* Chinam, & Guajacum non minús nutrire, quám jus pulli: nam in memet deſcendens, rebar futurum, ut pullos, ac jura ſibi Medici compararent; Ægrotis ligna relinquerent. Auditores ingenui, non alio modo per Chinam, ejuſdemque generis plurima, refici credenda ſunt macilenta corpora, quàm abactis, correctiſve vitioſis particulis, quibus nutritio prohibebatur. Suo ipſorum ingenio denſant primùm humores; deinde eliquant; maciem, tabemque demúm pariunt. *Incraſſans* inquit *Boerahavus* 2. de virib. medicam. *ſive Condenſans eſt, quod liquidorũ particulas tenuiores expellens, craſſiores arctè magis inter ſe compingit.* Motum excitant, a quo humorum denſitas: quod ſi exagitaverint ſicciores, diſſolvent: ſic Sol lutum primò indurat; deinde ad pollinem agit. Quare dum fluida noſtra ſunt, & ſine compagibus veluti in ſalſum pulverem venere; decocta non vacant periculo: certo ſunt

periculo Pulveres ex lignis, & radicibus. Paucis: Medicamina iſthæc igneis partibus non deſtituuntur: quare ſiccis temperaturis nocent: lentis nocent minus; proſunt aquatis. Siccis nunquam præcipienda, Aquatis ſemper: Viſcoſis non ſine largiore aqua: ſic enim, quod viſcidum eſt, incidetur, & perdomabitur.

4 Quàm ſimillimam, oportet, faciant ſui opinionẽ Chalybeata, quæ putantur ab Aliquibus duplici virtute prædita, quum aperiendi ſcilicet, tum adſtringendi: propterea ſatis tuta prædicant etiam adverſus duriores ſcirrhos hepatis: & terreum ingenium, ſiccamque temperaturã ſi objectatis; negant poſſe lactea ſubire, & ad ſanguinem uſque progredi. Sed in hęc animũ convertite: unum idemque præſidium nequit modò aperire, modò claudere, unius enim una eſt indicatio. Chalybs natura ſtipticus, qualitate terreus, & acidorum caſtigator, aperit, quidem ſi laxiorem fibram vivificat; deſtruitque id quod humores figebat. Sonat hoc aperire claudendo: nec modus latuit Antiquiores: Claudinus enim ſic loquitur ubi de Ingres: ad Infirmos in appendice ſect. 20. *Adſtrictionem non parum facere ad reſerandas obſtructiones, ex eo confirmari facilè poteſt, quod videlicet ex adſtrictione partes roboratę, faciliùs, meliuſq: materiá morbificá vincunt, & ſuperant.* Quando ſicca ſunt liquida, & contortæ pro ariditate fibræ nõ aperiet, ſed dilacerabit, tum enim a diluentibus, ac laxantibus expectandum auxilium. *Siccitas*, inquit Sanctorius in primam fen quæſt. 45. pag. 296. *niſi priùs tractetur humidis, tantum abeſt ut tollatur calidis, ut magis augeatur.* Quis non aſſequitur, fibras Inteſtinorum nimiùm irritatas alvum clauſam offerre: clauſam pariter lentis materiis incruſtatas? Aperienda ſanè: verùm ſub irritatione demulcentibus, & aquoſis: ſub languore ſtimulantibus; atque ita etiam Stiptica dicuntur reſerare. Poſtremò quum patentiſſimo damno reddantur obnoxii, qui laborant aneuriſmate, hemorrhogiave pulmonica, ſi chalybem uſurpent, non video, quamobrem reputari

putari queat, non pertingere ad ſanguinem. Perficiet chylum in Ventriculo, & Duodeno: eritne ab hoc perfecto malum?

IN SUMMA

Salſeparillæ uſum præcipientes non eſt quamobrem excludant medullam. China, Guajacum, & idgenus alia, non pinguefaciunt. Chalybeata non admittuntur ſiccitatibus, & præcipuè durioribus ſcirrhis.

QUÆSITUM XIV.

Quid de retrocedente Ictero, & de uſu Aſinini Cucumeris in eum?

VEſtro Vos fallitis arbitratu, ſi me huc hodierno die veniſſe opinamini compulſum conviciandi pruritu, atque libidine potiùs; quàm ut inſinuem non modó quid ſequendum, ſed etiam quid fugiendum ſit, aut ſpectentur errata mentis, aut mores factitandæ Medicinæ contratrarii. Mendacium ultrò non dixero, ex judicio quandoque nonnulla odero, nunquam ex odio judicavero. Amo redargui, refellique, ſicubi erro: ad fucum, pompamque ſcribere; diſſimulare, ſiqua ſunt, aliorum crimina; inducere, ſi deſunt, virtutes, non amo: quapropter obſecro, ne rem ægriùs, quàm dignum eſt, feratis; contendo enim, ut ſitis extra vitia, ſi non cum prærogativis. Morbus quo caput impetitur, & æruginoſus univerſi corporis habitus explicandus eſt: cur non præmoneam, Senum in

Adoleſcentes invidiam, eorumque diligentiam in exercẽda, quam profitentur, Arte damnabilem, eſſe maximo detrimento? Illine eritis, qui non conſentiatis, omne vitium tanto conſpectius crimen habere, quanto major habetur, qui peccat? Eamne Superiorum eſſe conditionẽ, abnuetis, ut quidquid faciant, præcipere videantur? Dies diem docens, vos arguet; frontique veſtræ objectabit, majores fuiſſe, futuraſque vires Exemplo, quàm Præceptis. Quid, ſi annoſiſſimus Medicus, qui meriti radices in plurimorum opinionem egit altiſſimas, & inextirpabiles, cõcepto pro Junioris apta medicatione mœrore, miſericordiam ſimulans, *Hæc*, inquiat, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, *ut præceperit Adoleſcens ſolertiſſimus, & ad maxima expectatus! Longè alium reputaveram! ſed res docet, qui vir iners, qui ſtrenuus. Super hoc eum alloquar: uſus imperati medicaminis nullus eſto.* Huncine Vos imitari ſtudebitis, offeretiſque præſidium non expetito opere, ſed nomine diverſum, & ſanctè, honeſté, ſapienter egiſſe prædicabitis? Quám miſerum eſt talia perpetrare; quàm inſanum ſuſpicere! Nec leviore cum criminatione ſe gerunt, qui ut Adoleſcentibus palmam præripiant; ante Solem Domos Ægrotorum ſalutant: tamdiù ſuſtinent, quoad ſua ipſorum manu illis in os ingerant, quod præceperunt; & per amoris eximii ſpeciem, terque, quaterque redeunt, quò fiant de oblati pharmaci exitu certiores. Hoccine eſt, quod chartis impalleſcendo conſequemur? Hoccine vendi Artem, ne vilipendatur? Fieri ſentio, & excrucior! Vulgatiſſimum illud *Oportet infirmari cum Infirmis* non eò proſtantis Medicinæ perducat, licet, ut majeſtas omnis, & non revocanda quidem, abjiciatur. Amatis Ægros? humanum, piumque. Paratis apud illos medicamina, domeſticis eorum rebus proſpicitis, teſtamenta ſuggeritis? hiſtrionale, putidumque. Dicatur, & impuné, quòd ad correctionem. Quò tanta familiaritas? ut ludibrio expoſiti rideamur! Nunciatum mihi eſt, aut legi, ſi bené memini, fuiſſe egregium

gi um

gium in Sicilia Medicum; qui comitatus Ægrotum recuperaturum ab aeris commutatione ſanitatem, ſubjectus eſt Figulo Tonſorem fingenti, & paſſus pro languentis nutu, dulcique levamine, ut levæ partis barba reſecaretur; dexteræ maneret ridentis ultra ſemihoram imperium. Alto Alius ſomno complexus, ſupra ephippia, caput humeroſque reclinaverat: Per famulos ejus indumenta, ſellaque conſuuntur: deinde conclamatur: Accurre, Doctor, accurre, Dominum mortiferum ſymptoma corripuit: quid tum? Surgit, conatur pondus excutere, cogitur ire phaleratus bipes Equus, quò vocatur. *Quis Cœlum terris non miſceat, & mare Cœlo?* Si hoc Barbigeris, Palliatis, Hippocratibus: Quid Ephebis, Calamiſtratis, Tyronibus? Ne faxint Superi, ut exempla iſtiuſmodi vos hilum moveant, habebimini vitio, quod non erit vos dimiſſurum, quare ſumma Profeſſionis pernicie ne Senibus quidem fas erit in minores animadvertere: porró vulgabimini Juvenalis verbis, de furto Verres, de homicidio Milones, de adulterio Clodii, Gracchi de ſeditione querentes. Sed ohe jam ſatis eſt, quia parciùs iſta Viris objicienda: ne fieri poſſe, credatur, quod factum eſt; ne hanc labem det in plures contagio, & totus grex cadat unius, alteriuſve porci ſcabie, atque porrigine. Siquis ita Ægrotantium amore tangitur, ut ad omnia miniſteria dilabatur, imitetur Ægyptiorum Regem, quem dixere Protheum: Varias pro re nata formas induebat, ut aliàs Aper, aliás volucris, videretur, ſed nunquam ponebat coronam; uti habet Juglares in ſchola veritatis ex Diodoro.

2. Jam verò quibus & caput benè ad ea, quę offeruntur, & nec dentes felle virent, nec lingua ſuffuſa veneno eſt: Ii mecum quærant, retrocedatne Icterus, & explicent quemadmodum, & aperiant ab cucumeris aſinini ſucco medicatum. Ignoſcendum mihi puto qualiacũque proferenti, donec probabiliora commõſtrentur, ideoque ſic ediſſero. Motus, quibus factum nomen eſt, *Metaſtaſes*, nec vel eum præteribunt, qui primoribus labris

medi-

medicinam, & naturæ animalis opera deguſtavit: certis enim quibuſdam organis inter ſeſe peculiari nomine conſentientibus facile eſt obſervare ſurditatem E. G. ubi ſubſiſtit bilioſa dejectio, vomitionem ſanguiuis periodicam, menſtrualis eruptionis vicariam, atque plurimas ejuſmodi mutuas tranſpoſitiones. Si perſcrutari ſucceſsûs methodum arrideat, demus, neceſſe eſt, fibras primùm invaſas ad auſus multò egregios conſurgere, opprimentemque materiam eò repellere, quò laxius membrum eſt, & imparatius: & quum eundum huic ſit per vias aptiores, evenit, ut quæ pars peculiari nexu copulata eſt, impetatur, quod ipſa contractionum, diſtractionumque viciſſitudo manifeſtat.

3. Tametſi plurima conſenſionum genera deſcripſimus aliàs in theoricis; & deſcripta legimus ab innumeris; viaſque viciſſitudinum ſumus aut non temerè imaginati, aut aſſecuti: nihilominus cavete, ne putetis omnia patentiſſima. Eriſipelatis, & Podagræ diſcurſatio ſatis obſcura eſt, & ſimilium quorumdam eventuum ſatis admirabilis. Suggeram admodum duos, ne faſtidium Vobis ingenerem, & ex Ballonio quidem auctore probatiſſimo. Habet in ephemeridibus anni 1509. a papilla Mulieris manare ſolitum ſerum acre ſubſtitiſſe: in genu ejuſdem regionis excitatum eſſe tumorem durum: hic poſtmodum repentè evanuit, & manavit ſerum, ut prius a mamma. *Quidam*, loquar fideliùs, & elegantiùs ipſius *Ballonii* verbis loco citato, *in ſura vulnus accepit: fluxit ſanguis multus, non tamen immodicè, ut ne ad fluxum ſanguinis referas id quod contigit: ab eo tempore enim congredi non potuit, nec ſemen emiſit: ſaltem non arrexit ſufficienter: id mirum fuit etiam peritis rei anatomicæ: non videtur enim ratio, cur vulnus ea parte inflictum eam impotentiam afferat. An id Hippocrates adumbravit, dum dixit ſectionem in malleolo infecundos reddere? Sic aliquis earum partium eſt conſenſus, ſed is fortaſſe nondum intellectus.* Ecquis omnem intellexiſſe jactabit?

3. Sed

4. Sed miſſas faciamus, quas Alii congerunt, morborum hiſtorias: poſtremam, (relictis ſeptem adeo ſimilibus, ut in hac cognoſcantur) quæ nos ad ſcribendũ impulit, obſervationem delineemus. Filius D. Franciſci Recupero ex improviſo terrore lapſus in Icterum eſt: Color univerſę cutis poſtridie diſparuit; & Adoleſcens decimumoctavum agens annum, deſtituitur voce, viſuque; licet nullum in oculis vitium conſpiciatur, dum manu medica, palpebræ attolluntur: Audit, & loqui niſus, non aliud edit, quàm mugitum, ſummi doloris argumentum: jactatur; morſibus, ſiqui coerceant, impetit; aſſurgit; proſternitur; caput nunquam erigit, ſed conſtanter inclinat quaſi ligatus bos, mortique deſtinatus; omnia delirus expuit, & ſine febre quidem; quinto moritur.

5. Ne ſententiam inconſultis Auctoribus dicerem, libros evolvi, quos meæ fortunæ mediocritas mihi comparavit, & quos admittit loci huius opportunitas: nemo unus fuit, qui doceret Icterum retrocedentem, aphonia, cęcitate, delirio ſtipatum. Apud Baglivum offendi in hæc (*Sępiſſimè moriuntur derepente Icterici, ut ait Dodonæus*) Sed quiſ volet retroceſſionem indicatam, præſertim quia ubi de morborum ſucceſſionibus, ne verbum quidem ſuper hoc? Quis Icterum ſæpiſſimè derepentè occidere? Diuturnum ſcimus, ſi non eſt alterius magis præcipitis mali conſectarius. Et Rhaſis apud Cardanum de cura morbi regii lib. 4. cap. 10. habet *Audivi ab Avo, quod non vidit morbum deteriorem regio, quoniam ſæpiùs expertus eſt mortem ſubitam, ſi non rectè curetur contigiſſe* Ne multa: dicatur Icterus Retrocedens, quia ni fallor, duce Hippocrate dicitur: En quibus mentem ſuam aperit in Coacis pag. mihi 14. col. 3. *Mala eſt ex morbo regio fatuitas, hos voce privari ſentientes tamen eſſe contingit, fortaſſis autẽ & alvus male his afficitur.* Addam ſi placidi admittitis:

6. Concedatis, fas eſt, libenti animo acerrimum liquorem poſſe in homine generari valentiſſimi cathartici non diſſimilem; atque illi Dyſenterias imputari, id enim viden-

videntur ſuadere & ſymptomata, & curatio. Quando in Diabetem, urinæve profluvium inquiritis, præſtò ſunt Aretæi voces: *Haud incredibile eſt, aliquod pernicioſum venenum ex his, quæ veſicam, & renes infeſtant, huic affectui cauſſam præbuiſſe.* Cur me opinari non ſinetis, exagitatos pro maximo ſpirituum tumultu ſales, inordinatè attritos, ad novas cohæſiones adactos, in circuitum cum aqua redeuntes, in cauſſa eſſe, ut diſpareat color antèhac viſus, impetatur caput? At enim, quamobrem caput, inquitis, impetendum eſt? id verò nolite quærere donec explanetis, quare hoc venenum intùs genitum inteſtina, illud renes perſequitur. Si ſtare neſcitis adverſus experientiam, ultrò dabitis, admiſſo per nares cucumeris aſinini ſucco (quod de illo marrhubii prædicat Dioſcorides, apud Burnet voce Icterus) ad guttas aliquot, per nares Icterum (utrum tutò, jucundéque dicetur infra) exhauriri: Quid quod ab indebita commixtione ſalium naſci nequibit liquor, cujus virtute eó compellatur Icteri materia, unde per nares eruperit? Annuitis? Rem igitur claudam: Quia repentè, cumulatiſſimè, & nondum parata ad exitum via compellitur ad caput lympha ſalibus ſatur, oboritur vocis interceptio, tumor cœcitatis parens, Mors. Nonne Mercurius largiore manu variis corporis partibus illitus, Ægrotum non ſemel conjecit in ſuffocationem?

7. Sed quomodo vox intercipitur, & viſus nullus eſt? Cur nulla ſub ingenti dolore febris? Cujus generis mors eſt? *Sanè docemur*, inquit Lanciſius *ſubitaneam aphoniam vix aliunde oriri, quàm ab interceptione venarū ad cerebri baſim, unde nervi ad linguam protenſi ad perpendiculum premuntur.* Compellatur ad glandulam Pinealem, Pituitariam, & Infundibulum immanis lymphæ ſalſæ copia, habebitur ſanè tumor in baſi Cerebri œdematoſus, unde compreſſio nervorum ad linguam euntium: Et quia glandula Pinealis premere poteſt thalamos nervorum opticorum, impeditur tremor ab oculis ad ſenſum

comū-

communem, ideoque viſio veluti ſub gutta ſerena, nulla eſt. Pro tumore eſt Solidorum diſtractio, in qua dolor: Et quia malum vertit in anteriora capitis, oboritur fatuitas illæſo cerebello, & organis inde pendentibus: Et quia incommodum augeretur, tumore premente cerebellum, in partem anticam caput inclinatur. Febris nulla eſt, quod morbus in lympha, & vix excitatur motus partium ſulphurearum proprius: Tandem laxantur ſolida lympham cohibentia, & ſupervenit Mors, quaſi ab apoplexia.

8. Reliquum eſt, definire, quis dandus locus ſit ſucco Cucumeris Aſinini, quando Icterum retrocedentem accuſamus. Ingratè, ut nihil ſupra, mecum agi puto, dū a Nonnullis ad illius uſum ſuadeor, non alia ſanè ratione, quàm quod univerſam Cutim quorumdam Ruſticorū per nares exſuctus emaculavit. Offerunt Baglivum ſine limitatione loquentem; & me tanto Doctori muſſitant infenſiſſimum. Cur non doleam ab iniquitate ſententiæ? Millies a me in theoreticis inſtitutionibus jamdiù evulgatis; millies in morborum expoſitionibus, quas brevi evulgabo, ſi non pro ſuo merito, pro meis certè viribus laudatur Baglivus: cur dicendus ſum inimicus? Qui nimis illum amant, illiuſque nomen ferunt, & hìc & alibi (ſic enim intellecta volo, quæ dixi, & dicam) per me refelluntur, quia poſſunt reſipiſcere, & reſpondere: nec eſt, cur benigniùs illum non interpretrentur potiùs, & ubi commendabilis eſt, ſequantur; quàm fallacem amplexentur, & obfirmatiſſimè ſuſtineant. Dixit ſuccum hunce ad paucas guttas cum lacte Icterum mirabiliter evacuare per nares, quá ſubierat attractus. Quanquam Bellinus, atque Alii negent a cerebro per os criboſum patere humoribus exitum ad nares; nihilominus me non retrahunt a Boerhaavo, ubi explicat apophlegmatizantia, docente membranam pituitariam inveſtire os cribriforme, & ad hujuſce membranæ glandulas ſecerni materiam a ſanguine antequam hinc ad cerebrum efferatur; deinde per nares amandari.

Siquem delectant clariora, legat apud Paſcoli. *Si diſcuopre d' ogn- intorno una tal carne molle è papillare, che deriva da quella ſuſtanza impiantata ne' piccoli meati delle oſſa fungoſe, e cribriformi: queſta tal carne è per alcuni riputata un' ammaſſo confuſo di minutiſſime glandule deſtinate a ſeparare dal ſangue arterioſo non ſolo quella linfa, che ne irrora le interne membrane, anzi quegli eſcrementi, che colano ben ſovente dal naſo, il che principalmente è oſſervabile ne' Bovi.* Siquem veró nec iſta movent, habebit e naribus ejectam materiam, quò vocatur a ſtimulo, quamquam per aures illò deferatur: duo enim, triave foramina demonſtravit Valſalva, per quæ expelluntur morboſa fluida a cavitate cranii ad meatum auditorium, unde & in os, & in nares: *Eadem*, ait cap. 5. n. 8. in tract. de aure, *ratione, qua ab illis foraminibus materia ad os demittitur, & in nares poteſt amandari; quum Tuba Euſtachiana eò deſinat, unde materia ferè æquali felicitate, & in os ipſum, & in illud naſi internum foramen, quod a latere tubæ eſt, deflectere valeat.* Sed nimia ſubitaque evacuatio quî poterit ſperari? Dixitne Baglivus ſemper, in omnibus temperaturis, quæcumque, & ubicumque ſit cauſſa? profectó neutiquam: fecitne iterum, tertioque periculum? minimè; ſi expoſitas per ipſum curationes proſpicimus. Cur talia contendẽtibus non obſiſtam? Quamquam præſidiis planè omnibus, tum quę prudens miniſterium, tum quæ ultima ſuaſit neceſſitas (& ſuaſit etiam ſuccum) obviam itum eſt, nihilominus quotquot me obſervante, retrocedens Icterus occupavit, oppreſſit.

9. Si poſtulatis, qua teneor opinione quantum ad hujuſce generis ſuccum adverſus Icterum; hortor, ut cathartico potiùs, quàm ptarmico utamini. Succingite ſtomachum, & accipite: Succus eſt illaudabiliter efficax, quare ſi narium cutim teneriorem invadet, timorem faciet (uti ſignificat Cyrillus apud Ettmullerum,) ne accedant eryſipelas, & ulcera. Quid ſi egregio impetu repentinam,

nimiamque peccantis materiæ copiam in caput adduxerit? Aphonia, Cœcitas, Mors non aliter, quàm a veneneno intus genito, a quo retroceſſio eſt. Quid ſi lapis in ciſta fellis, ſcirrhus in ductibus ſeſe exonerantibus in duodenum? Quid ſi nullus unquam Icterus, exturbatus per nares eſt molita criſim Natura? Mirabiles, utcumque felices, eventus non imitamur, ſed ſtupemus. Excurramus in pauciſſima.

10. Perpetuam ni placet reputare, frequentiſſimam cogemini fateri cauſſam Icteri, Acidum, quo ſulphurea pars humorum figitur. Hoc aut ſuppeditabitur a primis viis, aut enaſcetur ſalium ſero innatantium conflictu, undecumque demùm hi ad pugnandum compellantur. Id unumquemque docebit gelu e porci adipe cum ſucco limonis: Lixivium commune, addita præſertim palea, quæ bulliat ad partem ſulphuream dimittendam: docebit color ſtercorum cineraceus, infallibile acidi præpollentis argumentum: docebit communiſſima medendi methodus, quæ vincendo operam dat acido, ſublevatam vult bilim, confirmatamque: Si non aliena ſunt iſthæc a veritate, nihil eſt, quamobrem cum Hippocrate de loc. in homin. non probemus lotionem ex contuſa cucumeris radice, & in aquam conjecta. Succus e fructu expreſſus nonne ſeroſi humoris purgatorium prorſus egregium eſt? nonne cicuratur acidis, oleo præſertim ſulphuris, aut vitrioli? Acidis igitur adverſatur: Cur non ad alvum, vel Ictero negotium naturæ faciente, ſubducendam; ſed ad caput, nareſque fatigandas uſuvocabitur?

IN SUMMA

Certa inter partes animalis omnium conſenſionum ratio reddi nequit. Seſe abdit Morbus Regius ad cerebri baſim confluente materia, (unde vox, viſuſque deficit) in quam ſucco aſinini cucumeris, hortor, ut cathartico potiùs, quàm ptarmico utamini.

QUÆSITUM XV.

Balneo aquarum dulcium calido merſus poteſtne cathar-ticum admittere?

QUid hoc muſſitare, nutu, ſigniſque colloqui? niſi fallit imago, me redarguitis. Liberè quid ſentitis, aperite: is enim non ſum, qui nolim in memet deſcendere; nec primùm veſtra cauſſa deſcendam: novi quàm exiguum ſit mihi & judicium, & ingenium; ſed novi, & amo, ut vobis innoteſcat, quàm abhorrens ſit a temeritate, ac pertinacia. Negotiumne vobis id facit, quod heri dum ſerum erat diei, objectavit mihi filius meus? nempe, quî ad revocandum Sacerdotem Petrum Aparo in ſanitatem, me geſſerim, quaſi licere putarim, ſudoris, ac dejectionis indicationes convenire, ut iis uno, eodemque tempore ſatisfiat. Filium, quod interfuerat medicatui, Ægri conditionem, ægrotationiſque circumſtantias non ea, qua par eſt, diligentia conſiderarat, acriore verborum gravitate corripui: Vos, ne ſervato quidem Præceptoris proprio ſupercilio, ſic alloquor. Evenit, fatendum eſt, & neſcio quo pacto, ut quiſque magis cernat in alienis ſiquid delinquitur, quàm in ſemetipſo: *Natura Mortalium*, inquit Curt. Rufus lib. 7. pag. 285. *hoc quoque nomine prava, & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno*: quamobrem Flaccus ingenti admiratione perculſus ſe ipſe interrogat

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Verùm in me ſi cadit objurgatio, (quam cadere profiteor mille nominibus) ex alio, non hoc errato cadat.

Memet

Memet ipſe non deſeram; nec committam, ut damnatus etiam mea ſententia videar: equidem cujus criminis reus ſim, non video. Habete morboſi affectus hiſtoriam: Vir non ultra decimam adhuc trieteridem, ſicciore nitro-ſulphureo temperamento, matrimonii deliciis orbatus, exinde altari ſacer, præcedente animi conturbatione, corripitur febre, quam horrendum noviſſimè ſtipat delirū; omnia refutat; timorem intentandæ violentiæ facit Aſſidentibus; prognoſtico evulgato Naturæ committitur. Advocor, quatuor ſatisſuperque virilibus famulis comprehendi jubeo, in aqua ad lactis tenorem incaleſcente mergi. Hic verò in ſeſe rediiſſe viſus; mihi conteſtatur obſequium, & ſelibram olei ex amygdalis dulcibus admittit. Balneo bis die repetito, & ſubinde oleo, incolumitati priſtinæ reſtituitur. Adoloſcentes mei negaveritis nō ſolùm quid oporteat, ſed quid fieri poſſit, ſpectandum eſſe in deliberationibus? Verebar, ne in Medici reverentiam non rediret, nihilque ſuſciperet, eductus e balneo. Si res efflagitaſſet, catharticum, vel efficacius obtuliſſem. Improbate methodum; aſt ubi adjuncta ægrotationibus omnia expendiſtis, inque memoriam revocaſtis non tanti quandoque putanda præcepta, quanti Ægrotum.

2. Ut verò Vobis frangatur admiratio, quam peperit meus veſtro calculo inſolens medicatus; monere non deſinam, delirium cujus focus in abdominis viſceribus eſt, exquirere ſimul balneas, &, quod reſpondeat fibræ, nocentique materiæ, purgatorium. Ad inepta perducet vulgatum illud *Cutis laxitas, Alvi denſitas*; ſi denſitatem idem ſemper valere opinamini, quod rigiditas. Pergite mecum: Caput inter, & pedes ea pariter eſt neceſſitudo, ut ſoleat alternis emitti ſudor: ſi quando ab his non effunditur, in caput redit, doloremque illi procreat: cur nefas erit dicere, *Capitis laxitas, Pedum denſitas, & contrà?* non reperio cauſſam: Et quia laxantur pedes per balneum tepidum, componuntur vigiliæ nimiæ, ideoque laxatur, & caput, arbitror, laxata cute fibras inte-

ſtinorum

ſtinorum fieri molliores. Nonne balnea ventriculum debilitant? quid, quamobrem non etiam inteſtina lentaverint? *Dum genua actu calida conſervantur, non algent pedes, noctu benè dormiunt, magis perſpirant, & minùs mejunt*, ait *Sanctor.* ubi de ponderatione aph. 91. Eſt igitur a denſitate cutis, renum laxitas: tamen acerbiſſimis Coli, Renumque doloribus præſentiſſimo ſolamini ſunt Balneæ: num parta organis affectis rigiditate ob laxitatẽ cutis? nihil minus putandum eſt.

3. Pro iis, quæ recenſuimus, haud injuria res mihi poſſet adjudicari: placet nihilominus aliquid interloqui, ut agere majore providentia videamur: Adite Naturam, quæ ſucceſſibus reſponſa reddit: œdepol accipietis; nec omnes, nec ſemper ad ſudorem proliciendum uſurpari Balneas. Sudant, & illaudabiliter quidem Hectici, tamen pro multorum conſilio, ut ſales miteſcant, immerguntur balneo: Quos invaſit renalis Iſchuria, ſudant non ſine maxima naturæ moleſtia; ſed balneo recreantur: Quid de colica, fęcumque glutinea tenacitate laborantibus? coguntur ad balnea: verùm non ut in ſudorem liqueſcant. Pro eo quanti me facitis, ſi Præceptoris perſonam impoſuiſtis, habete: A *Sanctorio* edoctus hæc: *Hypochondriaci ſi frequentibus balneis eorum corpora reddantur perſpirabilia, & victu humido utantur, ſani fiunt.* aphor. 102. de ponderat. Et commonefactus magis ſalutarem eſſe perſpirationem, quàm ſudorem, mandavi talem in morem Ægrotantibus, ut ad ſemihoram aqua parumper ſalſa, qualem noſtra littora ſuppeditant, immorarentur: aut in doliis curtis, ſeu dicamus *Semicupiis*, ad lactis ingenium calida ſe mergerent, quin ab eo loci venirent in lectum. Vidi ſuccos in reverentiam Naturæ deductos; ſudorem, qui noceret, nullum vidi. Nec fractus Hypochondriacorum ventriculus me deterruit, quominus talia præciperem; quando enim intrò convertitur perſpirationis materia, gravantur viſcera, & ora glandularum ventriculi, undè liquor gaſtricus: ideoque non benè valent, quæ cibis conficiendis

operam

operam dant: quando evocatur ad cutim, ſplene præſertim delinquente, in melius omnia veniunt.

4. Eſto procul contentio: dicite: Licetne movere alvum, ne ſudemus; movere ſudorem, ne cacemus? prorſus. Licetne fibras Inteſtinorum mollire balneis? admodúm: Cur non licebit mollitas excitare ad munus ſuum exequendum? meherclè, ut vultis, quód balnea vocant ad cutim: ſed negatur id eſſe perpetuum, aut ſemper inſtituto noſtro contrarium. Videnturne tantummodo theoreticæ contemplationes? progredimini in hæc.

5. *Tres ſunt*, inquit Sanctorius de ponderat. aph. 52. *internæ cauſſæ prohibitæ perſpirationis. Occupatio Naturæ*, quando vacat digeſtioni: *Diverſio*, quando urgetur vomitu, alvique fluxu: *Vires imbecilles*, quando non comminuuntur, ut par eſt, humores exhalandi. Si ob purgatorium Natura intenta eſt in opus ſenſibile, Balneæ tepētes eam liquidis non parient motûs directionem, quæ īnitam cathartico ſuperet: immo aqua per cutim ſubiens ad inteſtina pellicietur. Laxatur ſolidum, ſed liquida conſtanti lege feruntur eò, ubi vehementior eſt *oſcillatio*. Accedat decretum Sanctorii: *Perſpiratio vi aeris, vel aquę calidæ excitata nocet, niſi ejus maleficium longè majori beneficio compenſetur*: Illaudatè laceſſita Natura duplici medicamine, utrique reſpondeat: quid propterea? malum uno partum, urgentiore beneficio penſabitur. Me, ne dimittite.

6. Novimus docente vel Hippocrate: *a balneò confeſtim, neque ſorbendum, neque laborandum: & quodcumque refrigerans quomodocumque excalefactis, malum*: nihilominus *Galenus* ſtatim ab hujuſmodi lavacro lac aſininum exhibuit: an minus rectè? *nequaquam*, inquit Zacutus Luſitanus, *quia major utilitas attendenda ex conceſſo cibo, quàm damnum*: ſemper enim videndum an Æger ſufficiat perdurare. Siquando Mulieri non procedant Secundæ, verùm uteri oſtiolo cohibitæ fluxum ſanguinis perpetuent: nonne, ut procedat expulſio, aliquantulum ex-

agitandus eſt ſanguis, & paulo uberiùs abigendus? numquid in ſcelus additur ſcelus? dixerim pace veſtra: Mali nihil admodum eſt, quod medicamento ſperemus abacturos, quin aliquid ſimul boni diſperdatur: Gubernator, ubi naufragium timet, etiam jactura, quidquid ſervari poteſt, redimit. Sed quò plurima? Conſultus Riverius, fęces inteſtinorum balneo, ut exturbentur, componi ſignificat: En quæ loquitur ubi de Colica: *Alvò variis clyſteribus ſoluta, primiſque viis cathartico apertis demittatur Æger in balneum tepidum ex decoctò emollientium paratum, bis, ter, quater, quinquies in die, ut acrimonia humoris temperetur; poſtero die cathartico accommodatò humor ille purgetur: deinde repetatur balneum; idque alternis diebus faciendum, ſi vires Ægri ferre queant.* Ultrà: *Martinus Rulandus* curatione 61. centur. 10. infundit Trochiſcos Alhandal in ſerum lactis, & de infuſione colata: *Bibit*, ait, *calidè unceas quinq: ſedens in balneo aquæ dulcis: tantundem bibit, & fecit ſequenti die, & ſtatim ſanatus eſt.* Ultrà: Ex Thevarto apud *Ballonium* in annotatione ad cõſilium quintum: *Joannes Fernelius in talibus balnea uſurpabat viribus nondum lapſis; ac in balneo ipſo medicamentum purgans propinabat: quod dum agere incipiebat, educi jubebat Ægrum e balneo.*

7. Numquid præterea in facinoris excuſationem? expectate quò iterem experimenta. Si veró, ne reus appaream, abundé hæc ſunt: quàm poſſum ſtudioſiſſimè a Vobis contendo, ut nihil a me recipiatis, quod ſumma expendi veſtri judicii ſeveritate non poterit. Libentiùs audiero, non quod me delectet, ſed quod perficiat: uti enim in animo nunquam fuit quemquam decipere; ſic ægrè nunquam tuli neceſſarias objurgationes. Me neſcium errorum non finxi; & duo exploratiſſima reputavi: nimirùm tacere unumquemque, neceſſe foret, ſi dicere non deberet, niſi omnium ſententiis abſoluta, veraque: Et multa adhuc in Democriti puteo deliteſcere, ſudore magis ope-

operantium, quàm ſpeculatorum ingenio in lucem extrahenda.

IN SUMMA

Balneæ non omnes ad ſudorem eliciendum imperantur: quapropter iis merſus poteſt adhibere pro neceſſitate catharticum.

QUÆSITUM XVI.

Traducunturne mores per Lac? Hoc quibuſnam ventriculis, morbidiſque opitulatur? Eſtne quęcumque Hectica contagioſa?

ERuditiſſima, eximiaque ingenia cepit opinio, quæ obtinuit ita Nutricũ lac Infantes afficere, quomodo Animã rationis participem percellit, pellicit, immutat quantum ad operationes Temperamentum. Eſtne, quem prætereant opera demorſorum a rabidis beſtiis? Admiſſo furentium Canum viro, alia fit in Homine vel ipſa olfaciendi ratio, quod alibi nos perſecuti ſumus: nec illud Felis, Mulæ, Tarantulæ minùs efficax eſt, minùſque mirandum, ac pertimeſcendum. Hæc infęliciſſimi quidem, ſed conſtantes eventus indicaverunt, & extorſere tandem, ut vera fateremur. Vidimus in filium tranſiluiſſe mores Nutricis: certi cujuſdam cibi faſtidium, & morbum, quo illa diſtringebatur, tranſmiſſum vidimus. Cur id in acceptis Lacti non referemus? Qui filium eloquentem exoptet, eloquenti Alumnæ concredat, oportet, Ciceronis arbitratu: Qui velit intrepidum, curet, ut hircanæ admoveant ubera

bera tigres. Optata in irritum non pertinebunt; porrò *non fruſtra* inquit *Phavorinus* Philoſophus in Gellium, *creditum eſt, ſicut valet ad fingendas animi, atque corporis ſimilitudines vis, & natura ſeminis; non ſecùs ad eandem rem Lactis quoque ingenia, & proprietates valere.* Objectum feris enarrante Juſtino Cerva lactavit; crevit, ut *in celeres gloria nata pedes* illi videretur. Remum, & Romulum aluit Lupa; ſcimus rapaciſſimos: Tiberium Cęſarem Meribibula; & accipimus a Svetonio vini potorem egregium. Quid quod Hominibus hectica multatis Medici Muſitani monitu nunquam Lac Aſinæ concedendum, ne in aſininum labantur ingenium? Attentas illi aures concedite: *Unum*, ait, *de lacte aſinino, & caprino ex noſtra obſervatione dicere poſſumus, quod ſi aliqui Hectici vel Phthiſici evaſerunt; mores aſininos, vel caprinos induerunt: Id etiam in Infantibus a capra paſtis ob paupercularum Matrum lactis inopiam, obſervavimus.* Quid plura congerere ad rem evidentiſſimam obtinendam? Hæc pro quorumdam opinatione.

2. Verúm ſi res ipſas amatis introſpicere, deferendæ ſunt fabellæ, & animus ad penſitandum magis acuendus. Remus, & Romulus incerto Patre procreati, in Tybrim conjecti, fortuna & detruduntur ad ripas, & aluntur Meretrice (qua cauſſa factum eſt nomen Lupa) cujuſdam Fauſtuli uxore. En Livium: *Ab eo regii pecoris magiſtro ad ſtabula Larentiæ Uxori educandos datos: Sunt qui Larentiam vulgato corpore Lupam inter Paſtores vocatam putant; inde locum fabulæ, ac miraculo datum.* En Plutarchum: *Nutricis nomen ambiguitate, fabulæ locum dedit; nam & Feras, & Meretrices communi vocabulo Lupas vocamus.* Quis habeat ſibi perſuaſum, a beſtiæ lacte ad illos acceſſiſſe rapacitatem?

3. Non ille mihi ſupercilii nimbus eſt, ut faſtidioſo nutu refellam, quæ de curſus pernicitate, vocumque modulatione reportantur. Nutritus cerva potuit enixè Matrem ſequi, & uſu facultatem ad motum celerrimum

ſibi

ſibi comparare, ovillaſque voces edere: ſed quod oculis, aut auribus arripitur, non eſt, quamobrem lacti attribuamus. Inveſtigarem qui fiat, ſi aliquando factum, ut id reſutet Puer, a quo altrix non ſine ſtomacho abſtinuit: idque verterem cibis, pro quorum miniſtratione, ſpirituū harmonia in lactante compoſita eſt: huic harmoniæ repugnabat caſeus, marina teſtudo, & ſimilia per immiſſos particularum inviſibiles effluxus: quid quod repugnare nequeat aliquando harmoniæ puerili iiſdem eduliis genitæ? Sed quum Imperitis tantummodo Jaculator audiat, qui diem integram haſtile vibrat, & in metam ſemel collimat: exiſtimo cauſſam rei, quæ temerè oboritur, non perquirendam. Quiſnam a diuturno lactis aſinini uſu, herbæ hordeique Aſinorum proprii deſiderio captus unquam eſt? Quamquam Canis, & Leęna, quàm ſimillima carne veſcerentur, filios non effingerent quàm ſimillimos. Quid quod Homo & Aſinus uno, eodemque lacte aliti, naturam fermè eandem ſortirentur? At enim pigeat ineptiis immorari; convertamus mentem ad exempli efficacitatē; & conſilioſius philoſophabimur. Timorem vix novit, quiſquis crevit inter arma. vix potuit exuere maximum, quiſquis imbelles inter Mulieres. Ad natu Majores formantur Puelluli; eloquuntur quod acceperunt, & qualiter: quod oculis objectum perſæpè eſt, audent, & felicibus ſucceſſibus conſtabiliuntur; magnam operam præſtante oblectatione, utilitate, gloria. Ne recedamus a Romulo, Remoque, de quibus Livius: *Ita geniti, ita educati: quum primum adolevit ætas nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnes, venando peragrare ſaltus: hinc robore corporibus, animiſque ſumpto jam non feras tantum ſubſiſtere, ſed in Latrones præda onuſtos impetum facere, paſtoribuſque rapta dividere.* Balatum pecorum ab incunabulis ad quamdam organorum firmitatem continenter excipere; cur non excitabit ad imitationem Infantulum, qui educatus matre hiſpana, vel franca, hiſpanum, francumve loquitur idioma? Quod reliquum eſt, hortor, ut perquiratis, an ma-

lorum pars maxima non lacti, ſed lecto; amplexibus, oſculis adſcribenda ſit: an quæ ſanguinem inficiunt, per cutim trajecta ad illum, prorſus aliter operentur, quàm quæ ſubeunt per ventriculum: hæc enim ubi expendiſtis, meum conſilium non refutabitis.

4. Quos in morbos prudenter Lac uſuvocetur, & quibus poſſit favere ventriculis, non iis offuſum tenebris arbitror, ut plurimum ſibi vendicet operæ, laboriſque plurimum. Hic una ferè omnium ſententia eſſe deberet, eaque *Gervaſii* verbis aperienda ex *Diſpenſatorio Panormitano* tertiùm excuſo, ubi: *Solo*, ait, *lacte tanquã panacea cunctos ferè morbos curabat Magnus medicinæ Parens Hippocrates, ut cuique patet, doctiſſima ejus monumenta evolventi.* Verò mala quæcumque ſalibus efferatis enata ſecundiorem medelam non perſuadent; quod acriũ venenorum, in quæ mirùm valet, exemplo confirmatur. Enucleemus tamen quod apponit *Hippocrates* in aphoriſmis, & apud Noſtrates ita univerſim exploratum exiſtimatur, ut divinum potiùs habendum cenſeant oraculum, quàm humanum conſilium. En Vobis membratim oblatũ.

5. *Lac dare caput dolentibus, malum.* Lacne cujuslibet generis, Humanum ſcilicet, Ovinum, Vaccinum, Aſininum? Omnibuſne doloribus a quacumque cauſſa, & quæ a ventriculo, utero, inteſtinis exagitet; vel ubi ſenſus eſt, hæreat? An tum ut alteret, reficiatque, tum ut purget? Qui ante nos fuerunt, ſibique nomen reverendum periclitationibus fecere, documentum non tolerant incircumſcriptum. *Ballonius* lib. 1. conſil. 50. *Non eſt*, inquit, *quod timidi ſimus in uſu lactis, Hippocratis territi doctrina: ſæpè enim præceptionum, ac theorematon artis noſtræ nimis religioſa obſervatio magnis nos afficit incommodis; quod multa audere, & tentare ſit religio, quæ alioqui eſſent profutura.* Ad vincendum Capitis dolorem, atque vertiginem, *Mercurialis* conſult. 60. tom. 3. habet: *Lactis caprini, aut aſinini uſus mihi valdè placebit per aliquot dies: neque ab hoc amoveor quod Hippocrates*

pocrates ſcribat, lac dare caput dolentibus malum eſſe: Galenuſque etiam ſcripſerit, nonniſi caput firmum habentibus dari oportere, quoniam hujuſmodi ſententias ſemper exiſtimavi, intelligendas eſſe de his, qui naturâ imbecillum caput habent. Et *Gorter* explicans aphoriſmum, etiam de Vaccino: *Neque*, ait, *negari poteſt Capitis dolorem leniri uſu lactis, quod ſæpè in praxi obſervavi: ergo incertum videtur, num lactis uſus conveniat, vel noceat.* Dicite, amabò Adoleſcentes, ſicui difficili bile fervens tumet Jecur, aut ſicciore ſale ſcatent Ventriculus, atque præcordia, unde caput fatigetur, ac doleat; cur lactis uſum formidabimus? *Quod ſeroſum magis eſt*, inquit Tozzius, *commendatur ad eluendum, detergendum, & laxandum nitroſa qua pollet conditione.* Expetendumne aliud quàm eluere, nitroſaque parte fervorem temperare? Si *Malpighius* dolorem capitis *punctorium*, ut loquitur conſilio 1. *propè ſiniſtrum temporalem muſculum* lacte vaccino cocto cum aqua violarum: ſi *Hippocrates* in 1. Epid. ſect. 5. aurium affectiones, lacte jubet impetendas: cur ventrem imum doloris idgenus genitorem lacte non expurgabimus? Audiatur *Mercurialis* in aphoriſmum: *Dolor capitis interdum fit per eſſentiam; interdum per conſenſum quando efficiens cauſſa eſt in partibus infernis. Ubi eſt in inferioribus partibus poteſt lactis aliquod genus conferre, ut aſininum in intemperie fervida jecinoris, & in ſicca cum materia acri, & mordaci; quo caſu ſive detur lac ut purgatorium, ſive ut attemperans, cauſſam doloris mitigat.*

6. *Malum, & febricitantibus: Et quibus Ilia ſuſpenſa murmurant: Et ſiticuloſis.* Et probo, & probandum cunctis reor, ſub ingenti febre ab humorum tumultu in primis preſertim viis, indignum eſſe, a quo expectetur auxilium: porró vehemens calefactio partem illius aqueã illicò abſumit, reliquas cogit, urgetque ad fellearum, vel aceſcentium ingenium. Verúm neque id perpetuum eſt: nõ licet enim aſininum tam citó damnare, uti auctor eſt *Cardanus* in contradict. Et Gorter, qui habet loc. cit.

Non

Non ſunt auſi lac dare febricitantibus, magis credo, ut quadam ratione firmarent Hippocratis, & Galeni ſententiam, quàm ut proferrent veritatem: quapropter offert vaccinum aqua dilutum: quid quod nullum elutius aſinino? Sub ilium extentorum murmure multum impuri, multumque furentis opinari, fas eſt: propterea infidum reputandum remedium, quod æſtus, ſordesque vitiant. Quis verò eiuſcemodi murmure caruiſſe volet ſtrigoſiores hypochondriacos: aut hos omnes humore acido cumulatiſſimé refertos? Et ab Aliis accipere, & ipſi per vos enumerare quamplurimos poteſtis, quibus ad miraculum lac aſinæ profuit. Nonne Puer Eratolai quamquam doloribus, & murmure ventris excruciatus, potavit *Hippocrate* præcipiente, lances atticas novem aſinini lactis, alvum poſuit, dolores vicit, ciborum appetentiam recuperavit? En verba Senis 7. Epid. in principiis *Bibenti lac aſininum coctum, novem atticarum heminarum menſura ad duos dies, bilioſa purgatio vehemens oborta eſt, & ceſſaverunt dolores, & ciborum appetentia acceſſit.* Numquid non ad experientiam *Fortunatus Fidelis* in contemplationibus medicis: *Melancholici, & qui præſertim ad inſaniā pervenerunt, magnum auxilium ſibi lacte experiuntur: hoc enim ab iis, qui diligenter medicinam faciunt, & ſæpè uſu compertum eſt, & memoriæ quoque mandatum?* Numquid non Sydenham apud Hoffmannum: *Mulieres aliquot, quum affectibus hyſtericis diù conflictatæ, maximèque ea ſpecie, quam Ego Colicam hyſtericam appello, tandem ſolo lacte aliquandiu veſcentes, convaluere?* Numquid non ipſe Hoffmannus in conſultationibus? Et hoc nonne reſpondet Hippocrati. En ab eodem Fideli: *Hippocrates multos feminarum affectus, ac præſertim hyſtericos curat, epoto priùs medicamento purgante, deinde accepto lacte: notiſſima ſunt loca in libro de natura muliebri, ut putem propterea ad hos morbos peculiarem quamdam illi facultatem ineſſe.* Quod ſi, licet malè, contendant Aliqui, negandum lac, dum febris adeſt, & hypochondria ſimul

mur-

murmurant; hortor ut conſulant *Hippocratem* 2. de morbis ubi, *Si bile*, ait, *infeſtatur Homo*, *febris ipſum corripit: ſi os non afficiatur*, *verùm ad imum ventrem tormen irruat*, *pharmacum deorſum purgans bibendum dato*, *& poſtea lac aſininum*, *aut ſerum*, *aut aliquem ſuccum*. Et ibidem ubi morbum explicat, quem vocat *Siccatorium* in quo ructus adſunt, flatus prodit, dolor caput habet, lac, aut ſerum aſininum bibendum præbet. Ab his Galenus, *Serum lactis*, ait, *ſale*, *& melle condientes plurimis talibus exhibuimus*, *qui & juvati ſunt*, *eorum alvo ſubducta*: quare cum *Ballonio* in conſiliis dixerim: *Si Galenus ſerum ſale*, *& melle conditum exhibuit*; *cur lac Aſininum ad ſerum accedens non præſcribetur*? Siticuloſos hic appellari non opinor eos, qui a febribus fiunt; nam uſus ejuſmodi præſidii febribus interdictus, interdictus nullo negotio crederetur etiam ſymptomatis: Sunt ergo, qui vehementer ſitiunt ſicci, & aridi, ut vocabulum ſuggerit: *Perinde*, *atque in Bulimo*, inquit Trallianus lib. 3. cap. 5. *& canino appetitu*, *cibi ingens deſiderium*, *& voracitas ſine modo accidit*; *ita Bupina potus ſine modo appetitur*. Et quibuſnam huic putat opitulandum? Humectantibus, frigorificis, his quæ detergendi, expurgandique virtutem poſſident. Damnabile igitur illud lac fuerit, quod nimis craſſum, aut nimis ad acritudinem promptũ; non quod aqueum, uti aſininum, cui uni palmam adſcriptam cum *Hoffmanno* volumus, cauſſa eluendi, expurgandi, incompoſitos tumultus temperandi: quapropter commendamus *Tozzium* aſſerentem de lacte: *Solet obeſſe non quibus ſitis ex humidi abſumptione orta creditur, nam his ſuapte natura convenit*, *& confert*. Et mirum non putamus quod ex *Gortero*, ſi potandum offerri dixit, Vaccinum, *admodum erit diluendum prius magna copia aquæ*.

7. *Malum*, *& quibus bilioſæ dejectiones*: Quis dederit bilioſum vomitum lacte componi, dejectionem tamen exacerbari? Hippocrates 3. de morbis febrem vocat Interficientem, qua caput dolet, & multa bilis evomitur;

ni-

nihilominùs lac aſininum bibendum dat: Ad morbum lividum, quo caput dolet, & bilis ſurſum ejicitur, ſerum, aut lac aſininum: Ad morbum pituitoſum, quo bilis, & ſalivæ multæ rejectantur; ſerum, & lac aſininum: Ad morbum nigrũ, quo vomitur bilis cũ virore pallida, ſerum, & lac. Sub morbo *corruptorio* exgurgitantur grumi bilis; & eadem quæ adverſus nigrum, præcipiuntur. Quid cauſſæ, quámobrem lac idgenus vitemus urgente bilioſa dejectione? En commonentem *Tozzium*: *Quibus ob peculiarē ciborum, aut medicamentorum qualitatem flaventes dejectiones accidunt, ut ex malis perſicis, peponibus, croco, rhabarbaro, cœteriſque paſſim experimur; vel etiam ex ſpeciali quadam ventrium conſtitutione a Natura inditum, fęces croceas, aut aliter coloratas egerere, lactis uſus obeſſe non poterit.* En *Gorterum*: *Quia in lacte*, (nempe vaccino) *multum pinguedinis hæret, ut patet ex ejus ſupernatante cremore, facile intelligitur, lac dandum non eſſe, niſi magna copia aquę dilutum.* Eſtne in aſinino redundantior cremor, quàm in dilecto vaccino? nequaquã. *Eminentiùs ſalubrem lactis aſinini facultatem, & conſpectiùs arguit*, inquit Hoffmannus, *quod ipſa caſeoſa, quam complectitur ſubſtantia, longè tenerrima ſit, neque in craſſum, & firmum coagulum abeat*, En *Ballonium* in 1. Conſil. medicinal 50. *Obſervavi, quod affirmare auſim, in fluoribus peſſimis alvi aſininum lac præſcribi: repreſſa humorũ malignitate, lactis bonitate, alvus magno commodo ſubſiſtit: nec terrere initio debet, ſi obſit, non proſit, nam perſeverandum experientia docet.* Ad quæ Pronepos Jacobus Trevart in annotatione *Hoc ex loco*, ait, *ſcire oportet etiam in dyſentericis fluxionibus pravis non eſſe alienum contra Hippocratis præceptum lac dare: Etſi enim concreſcat, tamen diuturnitate vincetur, & domabitur corruptio humorum: Et id ex præſcripto Hippocratis fieri poteſt, quamquam eis, in quibus dejectiones ſunt bilioſę, vetat, lac dari: Et experientia compertum eſt, quoſdam, quibus dyſentericæ, & meſentericæ erant dejectiones diù fatigantes non aliena arte ceſſaviſſe, quàm diuturno lactis uſu: Et*

Hippocrates lib. 2. de morb. mulierum, in fluore muliebri bilioſo, lac commendat; quia, ait, *fluxus a lacte obtunditur, quod idem de dejectionibus dici poteſt.* Cur non iterum, ac tertiò propinandum lac erit, quando primùm corruptum evomitur? In venenatis cogitur, rejicitur, novum imperatur, quoad inimicum atterat, aut aſportet: offeratur pariter dyſentericis, quibus intùs genitum venenum eſt, quoad hoc ſubigatur, & ab inteſtinis exturbetur: *neque* enim, cum *Tralliano* loquor lib. 3. cap. 19. *alvo fluenti, maximè ſi bilioſa fuerint excrementa, ullum invenies aliud præſentius ſubſidium.*

8. *Malum*, poſtremò, *quibus ſanguinis multi dejectio facta eſt.* Dejectio hujuſcemodi largior, eſſe debet largior per infernam alvum hæmorrhagia: Cuinam cauſſæ attribuenda? Exulet lac, neceſſe eſt, quòd huic faveat; an quòd faciat languenti naturæ negotium? Poſtremùm, cuilibet ſanguinis immodicæ evacuationi lac non concedit: Primùm expoſitam cauſſæ indolem deſiderat. Aggeſtio lentiſſimæ materiæ in plexibus meſentericis ad hemorrhoidas multum ſanguinem dejicere videri poterit; & maximum mehercle detrimentum ſubiret Ægrotus epoto lacte. Læderetur etiam qui cecubo ad feſtas dapes repoſito ſæpiſſimè uſus, exta omnia tartaro ſaturaret; deinde rueret in multi ſanguinis dejectionem: corrumperetur enim quodcumque lac. Sit verò hæmorrhagia vel a nimio ſtimulo in inteſtinis; vel a circumeuntium humorū fervore, nihil æquè prodeſſe, atque lac poterit. *Univerſis*, inquit Trallianus lib. 2. cap. 32. *qui quoquomodo ſanguinem rejiciunt, lactis recenter mulcti uſus commodiſſimus.* Et *Gorter* explicans aphoriſmum: *Seſe abſtinere a lactis uſu, qui debilitatus eſt per antecedentem ſanguinis evacuationem, eum malè agere exiſtimo; corpus enim illud eſt reſtaurandum bono, & levi nutrimento, quale lac ſuppeditat.* Hinc

9. Puto Lac bellè reſpondere ventriculis non ſua culpa debilioribus, iiſque nunquam officere, niſi copia-

redundarit, vel craſſitudine oppreſſerit. Digeſtus ædepol cibus eſt, a Matre ſuppeditatus tenerrimis Infantibus, qui non alium tenaciorem poſſunt conficere. Conſtare id poteſt a quamplurimis etiam Oviparis; ſi *libet* cum Thoma, Cornelio, *admirari Columbarum ingenium, quæ pullos ſuos primis diebus lacte nutriunt: nec dubium quidem eſt, quin Columbæ id habeant commune cum omnibus avibus, quæ pullos cibo in ingluvie recondito educant.* Nonne triticum firmiorem facultatem expoſtulat? Cur igitur lac ad eos ventriculos non quadraverit, qui morbo lapſi ſunt ad infantilem teneritatem? Sed jam in Theoreticis ſatis: Hic monere non deſinam, errare *Hoffmannum* ubi docet: *Neque ullo modo expedit lac ad alendum corpus dare iis, qui a gravi morbo convaluerunt, quia utplurimum adhuc imbecillis ventriculus non ſubigere hoc validioris materiæ nutrimentum poteſt.* Maximum quidem nutrimentum, quia, magis defęcatum, quàm quod aliud edulium: ſed non, magis tenax, ut etiam atque etiam obſiſtat ventriculo. Eſto quale vinum generoſum, aut ova gallinarum, quæ ſi ſtrictius, frugaliuſque uſurpantur; incredibili ſunt juvamini; ſi minùs ſobriè, fiunt nocentiſſima. At enim

10. Ad certos quoſdam morbos atterendos laudabimus diuturnum ſolius lactis uſum, ſeu *Diętam*, quàm, vocant *Lacteam*? nempe proſtratum animal erigimus lacte; poſſumuſne proſternere, ut morbos radicitùs evellamus? Quidam lac ab ubere calidum ad unceas ſex ſub auroram, ut Æger redormiat, offerendum ſuadent: largiorem hauſtum pro prandio; redeunt ad primam potionem ſupremo Sole, & ſecunda, tertiave noctis vigilia: producunt methodum ad menſem & ultra; aut moderātur pro neceſſitate. Legatur *Redi*, ubi *della dieta lattea*. At me judice auferunt cibum, tametſi Natura bona eſt, reddunt curaturâ junceam. Emolumentum ſi quod percipiunt, appellat *perbreve*, *&* *fugax* Sydenham, additque: *Nonnulli Incautiores in errores permagnos, ac planè exitiabiles inciderunt, dum morbi cauſſæ continenti, hu-*

morum

morum ſcilicet calori, & acredini obviam ire ſatagentes, concoctiones peſſumdederunt, & functiones naturales proſtraverunt omnes. Et Cyrillus tom. 3. conſil. 29. *Si quod de eo victus genere expertus ſum, fateri licet, vix Pueros recèns ablactatos, lactea diçta innoxiè uſos obſervavi.* Quid demum? quod Sydenham: *Qui huic ſe methodo tradere cogitat, primùm ſeriò ſecum perpendat, num valeat per omnem vitam in eadem perſiſtere.* Enimvero qui a morbo cecidit, contendit aſſurgere; qui medicamento, ciboque cadit, conſuetudinem ſibi quaſi alteram naturam facit, & hanc ſervet, neceſſe eſt.

11. Sed quis modum copiæ lactis capiendi poſuerit? Ventriculus. Quis craſſitatem definierit? Et Cibus, & Animans, quæ trahitur ad mulctram. Pro *Galeni* voto in 10. method. cap. 11. ab unceis duabus ad libram unam fas eſt progredi. Humanum, ſi non pateret affectibus animi; poſſetque non injucundè, aut verecundé ſugi ex uberibus, unum omnium efficaciſſimum eſſet ad quoſcumque fines. Ut teſtaretur Platerus utilitatem, enarravit unum aliquem, *non ſolùm*, ut loquitur Riverius, *convaluiſſe, ſed etiam tantas vires recepiſſe, ut ne lac ſibi impoſterum deficeret, Nutricem denovo imprægnarit.* Secundum locum ad eluendum, humectandum, & lenté reficiendum habet Aſininum. Caprinum craſſius, craſſiſſimum Vaccinum, cumulatiús nutrient, ſi laudabiliter digerentur. Cęterúm non tantùm pro variis, totoque genere diſſentientibus animalibus varium efficacitate lac eſt; ſed etiam pro uno & eodem, quod ætate, victu, temperamento, exercitatione, anni tempore permutatur. Capræ cucumerem ſylveſtrem, elaterium, titimalum, oleaſtri folia depaſtæ, dabunt prorſus aliud, quàm ſi veſcantur commendabilioribus, & balſamicis; aut omninó refrigerantibus. Docemur ab *Ettmullero*, quod, *omnibus præſtat lac Capræ propter copiam ſeri, & nitri volatilis, quoniam ſpirituoſum, & agile eſt animal:* Ipſe verò non arbitror magis ſeroſum, quàm aſininum; & ab agilitate minùs refrige-

ratorium deduco: ratumque habeo, quod reportat de Sartore Doleus, eum ſcilicet lac caprinum, ob æſtum inde nimis conceptum, ferre non potuiſſe: præſertim ſi verum eſt, uti monet *Plinius* 8. hiſt. cap. 50. quod perpetuò Capra febricitàt, idque teſtatur illius morſus herbis, & arbuſtis exitialis. Utrum fuſca animalia ſalubrius lac generent, non inquiro: novi ab Hippocrate ſępiſſimè repoſci vaccas nigras, capras a Meſue, omnia univerſim bruta ab Aetio. Ab Ariſtotele 3. de hiſt. animal. cap. 21. *Mulierum lac commodius lactentibus eſt, quod livorem trahit, quàm quod candidum eſt: & fuſcæ ſalubrius habent, quàm candidæ*: quamobrem id? quia fuſca fortiora ſunt, meliuſque digerunt albis, in quibus redundat pituita. Videant hæc Alii, expendantque, ſitne pilorum albitudo in belluis argumentum pituitæ perinde atque cutis in Homine: mihi quantum ad notam contracti livoris procul dubio falſus eſt Ariſtoteles: Et duce Amato Luſitano cent. 3. curat. 1. *Color bellue ad rem parum, vel nihil facit.*

12. Regrediamur ad morbos, quibus opem a lacte ſpondere permittimur ab Hippocrate. *Summa eſt*, judicio Mercurialis, quod eſt fermè omnium, *ut lac conveniat primò phthiſicis: ſecundò iis, qui longis, ac parvis febribus capiuntur: tertiò iis, qui conſumuntur ſine ratione, hoc eſt ſine febre, ut qui atrophia, & maraſmo frigido laborant, & qui tabe dorſali occupantur.* Prætereamus, quæ loquitur Cyrillus apud Ettmullerum: *Si juxta propoſitos*, ait, *ab Hippocrate canones lac Ægrotantibus exhibere velimus, nullus ferè locus erit, illud exhibendi: nam nullum ferè Tabidum lacte egentem inveniemus, qui vel capite non doleat, vel hypocondria non habeat ſuſpenſa, & obmurmurantia; vel ſitim non patiatur; vel biliosis quandoque non exerceatur dejectionibus; vel demum cui nunquam Sanguinis fluxus non acciderit.* Et pro noſtra virili Phthiſim, Hecticam febrem, Maraſmum explicemus, ut aperire aliquando queamus, quamobrem expectemus a lacte ſuppetias.

13. Agedùm utamur ſermone Celebriorum, ne in-

vidioſè criminentur Nonnulli, quæ dicemus. *Si ulcus Pulmones exederit, ut totus inde habitus corporis conſumatur, Phthiſis Pulmonalis Ægrū afficere dicitur. Cujus ulceris origo deducitur ab omni cauſſa, quæ valet ſanguinē in pulmonibus ita ſiſtere, ut in naturam purulentam abire cogatur*: ita Boerhaavus, & ad omnium quidem Medicorum calculū. Primum, unde ulcera, non exquiram, ſed ſi contemplamini, quod obliviſci non poteſtis, concedere cogemini, plurimum ab aere, dum reſpirationis ergo Pulmones irruit, repetendum. Hic ſanè præhumidus, craſſiorque lędit quàm quod maximé Phthiſicos: Salſus & aliquantulum ſiccior, inſtaurat, repurgatque. Suggerit Aretæus: *In mari geſtatio fieri poterit; atque ibi vitam deget, cum ulceribus enim quiddam ſiccum marina ſalſugo communicat.* Veteres, uti auctor eſt *Mercurialis*, mittebant Phthiſicos in Ægyptum propter navigationem. Ex Celſo *Opus eſt, ſi vires patiuntur longa navigatione, Cęlique mutatione: ſi id imbecillitas non ſinit, nave tamen non longè geſtari cōmodoſiſſimum eſt: ſi navi geſtationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum eſt. Plinius* jubet, Tabidos vivere in ſaltibus, ubi pix naſcitur, quòd aer ille exiccet, & conglutinet. Quid plura? *Haud multo certius*, inquit Sydenham, *Cortex Peruvianus febri intermittenti, quàm in juvenili ætate equitatio phthiſi medetur.* Et equitatio ſanè, a quo ſiccior, & ſemper alius aer admittitur: quamobrem Ægrotantibus ad hoc exercitium non benè accommodatis balſamea ſuffitione ſuccurritur: collocandum enim inter dubia nō eſt, quod habet *Boerhaavus* de medicam. thorac. cap. 5. *Si quidquam pro thoracico vero haberi poteſt, Aer ipſe eſt illud, quatenus vaporibus quibuſdam imprægnatus in pulmones recipitur.* Jam vero mecum nonne defendetis lac Phthiſicis optimum, quum fibras non molliet, quum hærentes humores comminuet, atque aſportabit? Quælibetne partium, quibus lac conſtat, muneri vacatura ſuo eſt, ut Seroſa luat, abſtergatque saniem; Caſeoſa glutinet ulceratum; gracile corpus Butyroſa

roſa reficiat? Utinam conſilium, quám probabile in ſpeciem eſt, tam etiam ſit exitu auſpicatum! Si hujus præſidii *uſu ſordeſcit magis ulcus*, ut loquitur *Tozzius* ubi de Phthiſi, *pulmoque laxatur*: cur id mihi perſuadeam futurum utile? *Qui opem aliquam exinde experti ſunt*, pergit in hæc, *Phthiſici a pulmonis vitio non fuerunt, ſed ſimplici atrophia correpti.* Atque ubi expenſum hactenus aphoriſmum interpretatur: *Lactis uſus*, ait, *non benè apud Recentiores audit, eo quod majora ſemper incommoda ferat; nec reipſa in ſalutem Ægrotantium cedere obſervetur.* Atque hæc ſi labem in ventriculo, duodeno, meſenterio lac non contrahat; ſed integrum, perfectèque digeſtum ad pulmones deferatur. Quid ſi nullus Phthiſicus commendabilem in modum appetit, & conficit, quod ingerit? Pus ipſum, unde febris, & macies, omnia peſſumdabit: ipſum aeris munus ob fibrarum pulmonis languorem perpetuabit incommoda. Quidni ipſa eadem cauſſa, qua ſiſtitur in pulmone primùm ſanguis, adjutus cœterà premente aere ad excurrendum, eum ſiſtet ubi non diſſimilis viſcerum teneritas, & minor ad repellendum virtus, ut in hepate, pancreate, meſenterio? Accipite Cyrillum tom. 1. conſult. 4. *Biſogna penſare di mondificare la piaga, emendare il nutrimento, che imbrattato dalla materia purulenta ſi rende inetto ad apporſi alle parti; e per ultimo conſolidare la parte ulcerata, onde non poſſa da eſſa nuovo ſangue ſcaturire. A queſto fine Io non approvo i medicamenti purganti, come quelli, che non poſſono ſodisfare ad alcuna di queſte indicazioni; ma ſolo indebolire il corpo, ſiccome ſi è per eſperienza conoſciuto. Così ancora ſtimo, che ſi ſoſpenda l' uſo del latte, e ſiero: imperciocchè quantunque ſi tengano queſti per rimedj, che hanno del nutritivo, e buoni per li Tabidi: queſto però s' intende allora quando ſi digeriſcono bene nel ventricolo: ed Io argomento, che non ſi ſieno digeriti dall' avviſarſi, che ſia all' Infermo piuttoſto creſciuta, che mancata la febre.* Accipite *Liſterum* in exercitatione de arthritide: *Serum coctum,*

&

& lac aſininum inter purgantia medicamenta numerarunt Antiqui; Noſtrique Homines eumdem effectum ex lacte aſinino ad infinitum damnum Phthiſicorum, & plurimis morbis convaleſcentium, etiam inviti quotidie in hac urbe experiuntur. Hinc ad mea judicia vertimini. Utinam hæc Urbs ne ſit etiam Catana, credatque medicamentum efficax, tantum quod efficax fecit Antiquitas. Eritne Phthiſicis profectura diarrhæa? apagè: quiſquam non eſt, qui hoc ignoret. cur iis utemur, quorum eſt illam movere? Eſto Phthiſicus, cui nec alvi fluor ſit inimicus, nec proſtratus culpa ventriculi appetitus, nec vitio ſuccorum depravata digeſtio; & Aſininum dederim non eſſe alienum. Induſtrii, navique Adoleſcentes, inſanabilia præſertim pulmonum ulcera ſtatuenda ſunt; hi enim nimis exponuntur aeris ſeſe dilatantis impetui: fierique nequit, ut cicatrix inducatur, quod ingenuorum Aſclepiadarum teſtimonio non ſolùm; verùm & quotidiana firmatur experientia. Non inficior dilaceratas fibras poſſe callo obduci; parari veluti fonticulum; vitam diutiſſimè prolatari: nec ſanioſum ſputum aliquoties obliteſcere cruſta impediente: Sanitatem tamen propterea recuperatam, aut lactis unius operâ productam vitam, indubitanter inficior. Rapi contradicendi libidine videbor; & ſingularis vim ingenii, quod ſentio cum pauciſſimis, affectatò præ me ferre. Sed veſtra vos decipit conjectura: Quo Catanenſes impelluntur in lactis uſum amor incredibilis me remordet, flagitatque, ut ponere medicatui modum contendam: quãobrem nihil eſt, quod ultrà deſiderem; quám ne præjudicatis conſiliis eatis; quàm ut omni errore periclitationibus ſublato, rem planè, quæ venit in controverſiam, videre poſſitis. Convellam aliàs methodum, qua jubemur in phthiſim uſuvocare balſama ſulphuris, terebinthinæ, & quæcumque maximam vim in calefactandis corporibus habent; ſolantur enim Ægros non aliter, quám *Sitientia Syrius arva*, ut loquitur *Billichius*: Hic iterum, iterumque monebo, ut conſideretis, quod Medicorum omnium volun-

vuluntate per *Hoffmannum* exponitur: *Lac in uſum trahendum eſt, quando ulcera non adeo calloſa ſunt: quando cavitas, & eroſio non profundior, & amplior: quando nõ urget febris continua ſine remiſſione.* Unde non eſſe calloſa trahemus ulcera? quî fiet cavitas non profundior poſt malè victam magnam inflammationem, poſt vomicam? Hujuſcene generis phthiſi non dandum lac? Ecquando o colendi ſemper & culti pro ſacro, quo implemini Apolline, ecquando intra ſpem veniæ dabimus?

14. De una febre hectica nihil eſt, quod aſſeveratè pronunciem: hæreo quantum ad cauſſam determinandam, quæ ſanè ſi repetitur a ſucco nervos irrorante, cui plurimum debet quæcumque humorum digeſtio; atque eo ſic degenere, ut in ſalſos præter Naturæ votum adigat reliquos; per lac non cauſſæ poſſumus, ſed effectis occurrere. Nec indureſcens Meſenterium, & fermè nihil ire permittens ad ſanguinem a cavitate inteſtinorum, juvari lacte ſolet: ſpes enim eſt inclementis diarrhϙæ; & coactæ nigricantis materiæ in tunica, quæ linguæ, ventriculi, inteſtinorum communis eſt: unde poſtremùm mortificatio. Si poteſt quidquid eſt in præcordiis elui; ſi demulceri, quod humores eliquat; admittatur ad aliquot dies Aſininum: deinde non unum rem claudat; ſed & aliis pharmacis, & aliquo cibo ſocietur.

15. Maraſmus, aut dicatur ſine febre Tabes, tum videtur oboriri, quum humorum particulæ firmorum ſtaminum ſpatiola non ſubeunt; ad ſuperiores non accedunt; non glutinantur. Evenerit id non irroratis intrinſecùs nervis; contortis a ſalium circumeuntium irritamento; a redundante aquea parte languentibus. Hanc poſtremam cauſſam ecquis victam curabit aut ſero, aut lacte? Reſtat, ut opponatur ſalibus: atque his ad frugem revocatis; etiã nervis, ut in priſtinum ſeſe reſtituant. Mandetur memoriæ quod *Hecquet* ſuper aphoriſmo: *Quum nullibi circa lactis uſum graviùs delinqui poſſit, quàm in Tabidorum curatione, quibus pro ſpecifico lac prædicatur, tanquam illo-*

rum

rum medicinæ coronis, aut abſolutorium, hic admonemur, illis Tabidis convenire lac, qui præter rationem extenuantur: ideſt, qui abſque manifeſta colliquationis cauſſa emacruerint: quum a ſtricto partium, non a laxo, ideſt a ſiccatarum partium denſitate, non a fluxarum colliquatione veniat iſthæc emaciatio; ſpes fit, fore ut tunc ab erethiſmo liberæ partes, naturalique ſuo redditæ oſcillandi rythmo, tolerent patientiùs lactis conſortium.

16. De Contagione per Hecticam, cui poſtremus datus eſt in propoſito quæſito locus, pauciſſima fecerim, ne vos tantus corripiat unquam timor, quantus noſtratium Procerum quoſdam, Vulgumque cunctum ardentiùs quám par eſt, mortali huic vitæ proſpicientem. Qui Hecticam ſimplicem affirmaret Contagioſam, ſpectatum ſatis & donatum jam rude, vidi neminem. Recitantur ſanè vel morbi prognoſtica; vel Ægrotum extrinſecùs impetentes cauſſæ: ſed ne ab uno quidem indicatur Contagium. Sicui poteſt videri ob indiligentiam prætermiſſum, eſto reus ereptæ laudis, quæ debetur Emeritis; & accipiat a Mercato: *An Hectica febris contagioſa cenſeri poſſit? Statuendum eſt in defectu, & in figura, & in habitu, nullas eſſe communicabiles, ac generatrices ſimilium; licet aliquid ex eis evaporari poſſit. Siquidem id malignum non erit, quare futurum eſt Contagioſum? Præterquamquod in febre hectica, quod exhalat, humidum eſt radicale, non quid putrilaginoſum: quod ſanè humidum nequibit profectò hecticam convocare, quia mulcebre, & benignum eſt, licet eo evaporato, corpus ſuperſit aridum.... Præterea his morbis, ut contagioſi ſint, deerit Seminario alia conditio præcisè neceſſaria, nimirum quod evaporatio illa, quæ ab eis elevatur, tenetur non ſolùm vim habere ſe communicandi propinquis corporibus, verùm & veſtibus, ac domiciliis: Item adeo eſſe tenacis conditionis, ut diù duret, & ad diſtans abire queat, antequam diſſipetur. Quas profectò conditiones in hectica febre, ulceribus, ac tumoribus obſervavit huc uſque nullus.* Audiat Gaſparem a Reyes cujus verba con-

fultus per literas æternùm colendus Amicus meus Joſeph de Gregorio, & Ruſſo, in quo jure gloriari poteſt Panormus ad me exſcripſit: *Hectica febris an Contagioſa, ut communiter Vulgus profert? Nihil in ipſa continetur, quod contagium afferre valeat.*

17. De Hectica, quæ a Phthiſi naſcitur, contraria eſt quaſi omnium perſuaſio, clamant enim Contagioſam. Evolvite, quæ uſque ab Ariſtotele, & Galeno ad hæc noſtra tempora ſcripta ſunt; intelligetis inculcandum illud Ovidii

Quò propior quiſque eſt, ſervitque fidelius Ægro
In partem lethi citiùs venit.

Æger propterea conſuetudine prohibetur, ut, & præſertim Monachus, maneat

Solus, Inops, Expes, Letho, pœnæque relictus.

quó plura? ne indumenta digna ſunt, quæ uſui ſuperſint; nec ipſæ cameræ, niſi poſt aliquot annos dealbatæ. En Fracaſtorium: *Mirum profectò eſt, quanta tenacitate, quanto tempore ſervetur virus illud in fomite ita ut Veſtes, quas phthiſici geſtavere ſæpè viſæ ſint poſt biennium attuliſſe contagionem: quinimo tales etiam num fiunt & cameræ, & lectuli, & tabulata, ubi Phthiſici periere.* Errat igitur quicumque timet eadem a Phthiſi, quam ſequitur Hectica, & ab Hectica ſimplici: Cur iſthac laborantem commercio privarit, & re domeſtica? Sed neque de febrientibus phthiſicis adeo multa pronis auribus credenda puto: ſunt enim temperamenta, corporis affectiones, ætas, veneni vehementia conſideranda. Ut decoctius aliquid offeram, habete: Si conſulimus Ariſtotelem 7. prob. 4. diſcemus: *Contagio ideo fit, quoniam ſpiritum vitiat, gravemque reddit; qui animam appropinquarit, talem profectò ſpiritum trahit, qualem Æger ille reddiderit.* Si Galenum 1. de diff. febr. cap. 2. *Eſt eorum, qui tabe correpti ſunt, conſuetudo*

ſuetudo nequaquam ſecura. Si Mortonum: *Lecti Socios miaſmate quodam ſicut febris maligna inquinat.* Conſuetudo non ſecura, Concubitus, Appropinquatio, quæ malum comminantur, ut velint, ne inviſendum quidem Phthiſicum? Cameræ, & tabulata peſtem non ſuſcipiunt; ut ſuſcipiant ſeminarium Phthiſicorum? Foreſtus nec vidit Phthiſim traductione genitam, & refert, nec vidiſſe Jacchinum. *Halitus*, inquit, *contagione imprudentes inficit, ut quidam volunt. Cauſſa prompta eſt, quam & Jacchinus afferebat, quoniam putridum ſpirant. At putredo illa vaporum, ſi per aerem trahatur, malè poteſt pulmonem afficere: Et ſic Jacchinus quoque nullum vidit contagio periiſſe. Obſerv.* 53. *lib.*14.*pag.*82. Paulus Zacchia lib.1.queſt.10.num.5. habet: *Phthiſis eſt ulcus Pulmonis ad quod conſequitur hectica febris, & hi præterea conjunctum ſecum contagium: & quandoque tanta pravitate, ac malignitate comitatur, ut halitu inficere poſſit: ſed nota non tantam energiam ejus contagium habere, quantam ſibi perſuadet Majolus, quia non a quocumq: ſubjecto in quodcumq: & quandocumq: cōmunicatur: qui enim ætate jam provecti ſunt, non tam facilè inficiuntur, ut ille credit; imò neque Alii quicumque, niſi habeant quamdam a natura propenſionem ad prædictum contagium contrahendum, quod non ſimplici halitu, ſemel, atque iterum percepto contrahunt: ſed longa, ac multa reiteratione, ac converſatione cum Perſona infecta.* Sylvius de le Boe quamquam nimis verum eſſe contagium, affirmat, ita loquitur, ut nunquam obſervaverit. *Hæ cauſſæ antecedentes*, ait, *præter quas contagii quoque apud Auctores Medicos mentio; quatenus expiratus a Phthiſicis aer, &c. Quocirca meritò adhortantur, & monent adſtantes tales, & in primis conſanguineos Medici, ut ab expirato Phthiſicorum halitu ſibi ſedulò caveant: a quo Ego illos præſertim affici ſuſpicor, quia non omnes æquè affici deprehenduntur, in quibus eſt, vel minima ad Phthiſim diſpoſitio naturalis.* Hæc timorem frangent, obtinebuntque, ni fallor, ut paullo benigniùs cum infelicibus Ægrotis agatur, ut non certatim vix audito He-

ćticæ nomine, unoque ore fuga Conſanguineis, Domeſticis, Nobis ipſis indicatur.

IN SUMMA

Lac nihil habet ad morum inſtitutionem. Debilium ventriculorum optimus cibus eſt. Aſininum maximè commẽdabile, quando vel elui poſtulant, vel tumultuantur humores etiam bilioſi, ignemque concipiunt. Phthiſicis quodcumque ſit, illaudatè propinatur: Hecticis non item: porrò hectica ſimplex longiſſimè diſtat a phthiſica: illa nunquam contagione tranſvolat; hæc perſæpè traducitur, ſed conſentientibus, quæ ſuſcipiant, ætate, conturbernio, habitu corporis, temperamento.

QUÆSITUM XVII.

Quando Maritis ad valetudinem integram redeuntibus concedenda Venus ſit.

HAbeo Vos mentis, quàm linguæ pudentioris; ſed ut verecundos, cunctanteſq: ad venereorum notitiam non incitabo, ſic requiſita, & a pauciſſimis pertractata intelligendi cupiditati non refragabor. Quantum mihi dicere fas eſt; & quatenus res ipſa patitur; Maritum in dies convaleſcentem, quaſi per literas alloquar; & pauca quædã non tam præcipiam, quàm admonebo. Ad veſtras accomodatum aures, & magis expreſſum de uſu Veneris, enucleatumque ſermonem in aliud tempus, locumque diffe-

to:

ro: modó quoniam percontamini, reſpondebo ea libertate, quam interrogando feciſtis. En Vobis epiſtolam.

2. Dixerim licet plurima ſatis aperta, ſatiſque conſtantia, majoris tamen apud Te erit auctoritas eorũ, qui ſe ab experientia pronunciare conteſttãur: & plus dicẽdum reſtare ſignificant, quám breviloquentia muſſitantes manifeſtent. Recitatur Sybillæ folium, non unius alteriuſve ſententia dicitur, ſiquando illud cum Pythagora oggeritur *tum ſcilicet eſſe cum femina congrediendum, quum voles te ipſo fieri debilior.* quapropter ut ſtudioſiſſimi tuæ ſanitatis appareant, edicunt Uxorem non ſolúm lecto, verùm oculis, ipſaque domo exterminandam: definiunt enim veluti Cupidine lymphati, nemini aliter conſtituto dari, ut ſciat *juſtum gemina ſuſpendere lance ancipitis libræ, & rectum diſcernere.* Me, ut multitudini opponam, & ea quidem præcipienti, quę quãtacumque ſedulitate ſervaveris, haud oberunt? Ut audiar aut nimiúm cereo in Venerem pectore, aut rudens archadicus? Cœterùm ſi tanta mei Te cępit opinio, ut aliquid non prorſus ineptum ſuggerere poſſe, judices; diſſimulo contumelias, & offero, quæ dicere habeo.

3. Quod poſſit ad ineundum opus invitare, conquirimus; non quod facto, abſolutoque periculo doceamur: propterea dicemur ſerò ſapere, ſi cum Galeno venereorum uſum arbitrabimur utilem, quando reſolutio aliqua non ſentitur, & ipſe ſe ipſo Homo quodammodo levior factus videtur. Illud tamen conſilium non eſt, ut ad propoſitum non trahatur, ſi res prudenter exagitetur: Et ſanè putandum eſt, Venerem ſalutarem fuiſſe, quum Homo ſe ipſo factus eſt levior: ſi nulla igitur alia cauſſa, quám intermiſſo concubitu cruciatur, ſentitque ſe triſtem, ac ponderoſiorem; nihil eſt, cur Muliere non utatur. Enimverò ſemen elaboratum ſi redundat ita, ut reliquis admixtum humoribus in circuitum regrediatur, quemdam excitabit fervorem, quo tubuli nervei premantur, neceſſe eſt; tardentur ſpiritus animales ab illapſu in maſculos, & in

in cerebro ſegniùs explicentur: Cur non mæſtitia, non infractior agilitas, non membra graviora?

4. Partem corporis, quæ potiſſimùm a coitu debilitetur, exiſtimo Ventriculum; in hoc enim fermè continenter invenire licet, quod ſpiritus efflagitet: quare Te judice tum Veneri ſervies, quum præſenties de jactura non conqueſturum. Si ad munus, unde receſſit, Alvus rediit, rediit Cerebrum, Ventriculus, Cutis, Renes: cur ea, per quæ Veneri datur opera, non redierint? Fecit meherclè etiam his conſuetudo neceſſitatem.

5. Hìc verò in eam aſſurgo dicendi libertatem, quę me reprehenſionibus eripiet. *Certum eſt*, inquit Ludovicus Cornelius ubi de vitæ ſobriæ commodis, *uſum in Hominibus ſucceſſu temporis verti in naturam ita ut illos quodammodo cogat ad ea uſurpanda, quibus conſueverunt, ſive bona ea ſint, ſive mala.* Ecquis inficiabitur conſuetos laboribus, licet imbecilliores minùs pati, quàm inſuetos fortiores? Gladiaturæ operam acriùs, perſeverantiuſque Laniſta navaverit; quàm qui contētioſius in literas incubuit; quamquam febris utrumque pari feritate fatigavit: cur Maritus id oneris ferre gravabitur, cui aſſueverat? Unde aliam hujus exercitationis eſſe methodum diſces, illius aliam? Quod Te pro morbi violentia tentigo deſtituit, Uxoris amplexus neglexiſti: quid ſi veluti poſt liminio revertatur? In priſtinum te reſtitues. Hanc ob rem

6. Quando te dormientem Venus invadit, exagitatque, nec duce quidem phantaſia, verùm ſemine fodicante, eſſe potes Concubitor, quin properanti ad integram valetudinem Naturæ injuriam facias quàm leviſſimam. Id non aliter evenire, mihi perſuadeo, quàm ſtimulante, ac mictionem petente urina: propterea perducor, ut credam, ſemen talibus indiciis exturbatum, quum repletiō quæcūque poſtulet inanitionem, etiam ſub damnabiliore morbo languentibus non nociturum. Confirmat hoc Ariſtoteles, qui probl. 9. ſect.4. rei jam certæ rationem dat: *Cur*, inquit, *neque concúbere, neque evomere, neque ſternuere, neque*

que flatum emittere oportet, niſi res turgente corpore urgeat? Hùc ſpectat Trallianus, ex quo *Si redundantia quidem, & nimia plenitudo affuerit, conſequens eſt, immò neceſſarium, excerni.* Hùc Sanctorius, cujus in aphoriſmo 45. ſunt: *Coitus juvat excitatus a natura; a mente mentem, & memoriam lædit.* Hùc Marſilius Cagnati. 1. de ſanit. tuenda cap. 36. ubi Venerem, *illam,* ait, *Ego ſine noxa futuram exiſtimaverim, ad quam ſpontè impellimur; non morbo coacti, non externis irritamentis invitati, ut lectione, auditione, viſu, tactu, reminiſcentia voluptatum.*

7. Surrrigunt Quammulti criſtas, ſupercilium adducunt, & offerunt illud Juvenalis ſat. 14.

Nemo ſatis credit, tantum delinquere, quantum
Permittas:

Ecquis intra temperantiam conſiſtet, dum conceditur, quod perplacet? Si ætate florida coitum *ſemel in die naturali,* uti loquitur Joan. Argenteriùs in Art. Medicinal. Gal. pag. 362. *exerceri poſſe, docuit experientia:* quid iis dandum, quibuſcum nondum venit in concordiam valetudo? Severioribus utendum imperiis eſt, quando ita comparati ſumus, ut quàm ſæpiſſimè ab inſtituto deſciſcamus.

8. Curios, Fabios, Catones, hirſutaque hujuſcemodi ruſticitate truces quoſcumque ſic audio, ut objurgationibus etiam contumelioſis ne hilum quidem commovear. Scribo ad Maritum, cui pro libera coeundi poteſtate languidius factum eſt deſiderium: ſcribo ad Virum, qui novit graviorem prioris morbi recidivatum; fatetur firmiſſimum non illud modò *Voluptates commendat rarior uſus:* ſed & aliud

Nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes.

& defendit demum certos eſſe limites, quos ultrà citraque nequit rectum conſiſtere. Quî fiet, ut ſuſpicer, te in libidinem nimiam progreſſurum, quoniam ſeminis, quin turgeſcat, nullam ſuadeo effuſionem? Succeſſores iſtos, heredeſque Pythagoræ extrahat aliquantulum tacita, diligensque conſultatio; ſedebit demum in animo, ſe non u-

ſos vocibus Maritorum convaleſcentium; ſedebit ſimulaſ-ſe feracem præceptionum Senectutem, & mores aliis voluiſſe ponere pro ſua ipſorum habilitate.

9. Hiſce decretis tum denique obtemperabo, ſi ex animo profitebuntur; ſe poſt exactum vitæ annum quinquageſimum, Mulieribus omnino caruiſſe. Ratum habent, Virum concumbendi tempus doceri a Muliere: ſi hanc ætate inſpecta flores menſtrui dimiſere; dimittat, fas eſt, illum Venus: ambo enim ab anno 14. ſuſceperunt munus; quinquageſimo deſſiſtere debent ambo: quare incredibili oblectamento accipiunt canentem Horatium, eoque duce ingeminant

Deſine dulcium
Mater ſæva cupidinum
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

Sed cum illo vim ſibi fieri ſentiunt, excruciantur, & non adducuntur, ut quod peto, profiteantur. Permittant igitur ut cum Sanctorio aph. 3. de Venere, dicam: *Quanto quis majori coeundi cupiditate conflagrat, tanto ejus uſus immoderatus minùs lædit.* Et in ſeptimo: *Propenſi ad coitum, ſi temperent libidinem, illicò ſuccedit corporis agilitas.* Nec temperare libidinem, hic ſonat, omittere: dixiſſet enim: temperent a libidine: ſed frangere igneum rigorem, quo premuntur tubuli nervei, uti explicatum eſt ab initio: quare non benè Liſterus interpretatur ſecundùm primam explicationem. Jam verò quin te ſemen excutiat, concubitum puto non admittendum: quamobrẽ ſi immoderatus, dum reſpondeat ſanguinis fervori, non læſurus eſt: cur timeas ab moderato, cui unire te, Maritumque omnem dedere, judicandum eſt? Auſcultas Naturæ, ſiſne ſingulis diebus alvum, veſicamque ſemel exoneraturus, an bis, terve, quaterve: cur eidem non auſcultabis commonenti nocturna ſollicitatione? *An Ego Avarum*, ut ajunt, *qùum veto te fieri; Vappam jubeo, aut Nebulonem?* Si graviorem Archiatrum jucundiùs accipis

offero;

offero Georgium Pictorium apud Scholam Salernitanam:

Spumigenæ Veneris quandoque incendia proſunt
Si non exceſſus damna tuliſſe velit.
Nam tumidos renes curant, calor intimus inde
Firmatur multum, Sydereumque caput.
Expellit curas, Iram contundit, amantem
Reddens audacem mox ſatiata Venus.

IN SUMMA

Maritis ad valetudinem integram redeuntibus, immo & languentibus, ſed calidiore, pinguique cibo nutritis concedi Venus poteſt, dum obrepit ſuo jure in ſomnis: vel dum per faſtidia, membrorumque ex occulta cauſſa gravitatem proditur in vigiliis.

QUÆSITUM XVIII.

Fluor Albus Muliebris eſtne ſemper gallicus? Eſtne gallicus, qui comitatur fluentia menſtrua? Eſtne a cauſſa, quæ neceſſarió, primúmque ſtabuletur in utero?

MEntes Hominum etiam doctiſſimorum poſſe vobis nocere, perſæpè monui: mortalium enim nemo eſt, qui aliquando non deſipiat aut ignorantia, aut affectu: quamobrem rata habere, quæ reliqui dixerint, omnia; nequit Credulis non obeſſe. Cedendum eſt auctoritati; non laceſſendi Superiores; alienus labor non deſpiciendus: Fatemur. Sed pro veritate ſubeunda invidia eſt; ſed non

ſepe-

ſepelienda, vel rejicienda conceſſa per ſummum Deum ſapientiæ ſemina; ſed non ad alienos ambulandum gradus, ad alienos non dormiendum ſomnos. En tria celeberrimorum documenta, in quæ juravit non primus modò (ut ipſe teſtis eſt ſibi) ſed unicus inter Archiatros Catanenſes Archiater. Habet, ſæpiuſque fortaſſe, quàm ferat occaſio memoriter recitat ex Pitcarnio, Baglivo, Sylvio.

2. Atque ex Pitcarnio quidem: *Non opus eſt diſtinguere inter Fluorem Muliebrem Gallicum, & non Gallicum; quum rarò, ſecus ac in Viris, poſſit fluor albus tolli, etiamſi virulentus non ſit, niſi remediis lui gallicæ propriis.* Et quamquam addit differentiam urbanitatis, femineique decoris cauſſa, tamen ſubdit: *Verùm hæc arbitrio boni viri, & circumſtantiis tutiùs definiuntur.*

3. Ex Baglivo: *Fluor albus uterinus, & gonorrhea gallica adeo ſimilibus comitantur ſymptomatis, ut quiſquis Medicorum ferè ſemper decipiatur in illorum diagnoſi; præſertim quum Mulierculæ verecundia perfuſæ gonorrhæam per impurum Scortum contractam fluoribus uterinis mentiantur. Ne ſuccedant impoſterum hæc incommoda, dabo ſignum infallibile tales morbos adinvicem diſtinguendi.* Pete *a Muliere an ſuperveniente menſtruo ſanguinis fluxu, perſeveret quoque fluor ille albæ materiæ: ſi dicat, quod ſic; ſignificato eidem, quod morbus, a quo divexatur, ſit gonorrhea gallica: ſi verò durante menſtruatione fluor albus evaneſcat, & eadem finita, denuo regrediatur, pro certo habeas, Mulierem fluore albo uterino laborare: cœtera ſigna fallunt; hoc verò conſtans eſt: Mulierum dolum apertè deludit.* Quorſum verò hæc recitaſſe, quoniam fluor ferè nunquam nõ gallicus cum Pitcarnio? num ferè ſemper comitatur fluentem menſtruum? Sed erat aperienda doctrina in obſervantiam Culti, in gloriam Cultoris.

4. A Sylvio demum: *Uterus affici debet ſemper ad fluoris productionem: & quemadmodum fermentum illud uterinum, & quidem acidum prout magis vel minùs exiſtit auſterum, vel acre, vel alio modo vario vitioſum,*

ita

ita diverſimodè corumpet ſanguinem ad uterum accedentem.

5. Suntne tanti auctoritates, ut de veritate ſecuros admodum, certoſque Vos faciant? minimé gentium. Unamquamque deinceps libremus. Duo Pitcarnium, ejuſque immodicos Veneratores volumus: Alterum, ne practicam in Medicina exercitationem momenti majoris eam prædicent, quæ ſua omnia referat ad mathematicam. Nihil Cilindri, Coni, Priſmata, Pyramides, Vectes, Axes; nihil ſolida Hyperbolica, Parabolica, Semiellyptica ad cognoſcendos, fugandoſque morbos, ad revocandam, tuendamque ſanitatem. *Illud fateor*, cum Facciolato orat. 10. *morbos planè omnes, eorumque curationes formulis explicari poſſe ex arte mechanica ductis ſi cui tantum ſit otii, ut nihil novi ad Hominum ſalutem quum afferat, uſitata verba mutare velit: verùm tamen quum id fecerit, tam certum erit, Medicum idcirco eſſe mathematicum oportere, quàm certum eſt Sutorem, ac Textorem eſſe Geometram quod Sutrina, ac Textrina geometricis formis explicari poſſit.* Hùc ſpectat illud Tozzii in appendice ad commentarium aphoriſmi tertii libri primi: *Etſi quæ a Mechanicis deſumuntur, veriſſima in ſe ipſis ſint, & firmis, ſolidiſque demonſtrationibus, ac experimentis ſtabilita; quum nimirum mechanica, ut Ars ipſa ſuggerit, purè conſiderantur; ſi tamen illa eadem ad viventia corpora, eorumque phyſicas operationes reducantur, mirum quàm longè varient, ac deficiant, quum ab ipſis plurimum alterari, ac permutari poſſint; immo veluti labe quadam erroris inficiantur, ut propterea a præconcepto fine declinent, & multoties penitùs aberrent.* Hùc illud Baglivi lib. 1. Prax. cap. 7. impedimento 4. §. 3. *Pluribus ſcientiis eodem tempore operā dantes, ſolent de altera per præcepta, legeſque alterius, præſertim illius qua maximè delectantur, judicare. Mathematici per circulos, & lineas de hiſtoria morborum, ſive de medicina prima diſſeruerunt; quod quidem an bonis avibus contigerit, doctorum Hominum judicium eſto.* Si a nota Medicis gonorrhea gallica, inter hanc, & fluorem

album apertiſſimā data eſt differentia; cur uni Pitcarnio ſubſcribemus? an quia figuris, ponderibus, niſu, momĕto res finiri debuit? Alterum, exoramus ut nos mittat ad Riverium quantum ad hoc, ſicuti pluries mittit, quātum ad plurima. Ecquid Riverius? *Perperam Nonnulli aſſerere auſi ſunt, temerè pronunciantes, corruptas eſſe Virgines, quibus fluores albi promanant. Id ipſum confirmat experientia a doctiſſimis Medicis prolata, & quotidiano uſu a nobis etiam confirmata, Caſtiſſimas, atque integerrimas Virgines, de quibus nulla corruptionis ſuſpicio eſſe potuit, hunc affectum paſſas eſſe.* Ecquid Sennertus? Qui ita pronunciat, temerè, & incauté pronunciat. Sed quum non ſit rejiciendus Pitcarnius, qui mihi dubius videtur, & feminarum contemptor potiùs, quàm veritatis aſſertor: verùm ſit amatoribus illius ſatisfaciendum, nihil ultra recitari oportere puto, præſertim quia modum infallibilem offerunt, quo gallicum alium a non gallico fluore dignoſcamus. Quid ſi Pitcarnio recedendum erat ab Ettmullero, quem ſæpiſſimé corripit, & aliquando admirantem vocat, ac ignorantem? Dixerat Ettmullerus: *Falſum eſt quod quidam putant, hunc fluxū iis non convenire, niſi quæ jam virum paſſæ fuerint.* Dicēdum Pitcarnio & paſſas, & impurum paſſas. Mirum, quò contradicendi libido perducit! Veniamus ad propoſiti partem alteram.

6. Si quiſquis Medicorum ferè ſemper ad monitorē uſque Baglivum deceptus eſt; hujuſce mali Medicus antehac nullus fuit: ſic habet: Joculator non eſt, qui totam diem jaculans ſemel tandem collineat. Erimuſne poſthac Medici? ita verò, ſi per Superos licet, datum eſt enim ſignum infallibile.

Quid dignum tanto feret hic Promiſſor hiatu?
laudationem, & pronam fidem in eo, qui poſt quinquageſimum factitatæ Medicinæ annum potuit non gallicum a gallico fluore ſeparare. Atenim, deſperabimus, aſſecuturos morbum, ſi Mulier jamdiu vexata, menſtruis omninó

nò deſtituatur, aut præteritorum immemor reſpondere, neſciat interrogatis? Si Baglivum præteriiſſe potuit Charletonus, potuit Foreſtus ejuſdem indicii Vulgatores; fugere non debebat Fernelius: nonne diurna verſabat, nocturnaque manu Ballonium. hunc mirificè commendabat, hunc pluries exſcribebat? cur fidem non habuit, dum in paradigmatis tom. 3. pag. 432. talia loquitur: *Narrat Fernelius fluorem Muliebrem a gonorrhea virulenta diſtingui, quod hæc fluat menſibus etiamnum erumpentibus: Fluor autè Muliebris ceſſet fluentibus menſtruis: nos contra in miſella Muliere utrumque ſimul fluere obſervavimus; & ſanioſa excretio per fluorem muliebrem adeo fęda erat, ut nullus eſſet ferendo.* Auditores mei quæcumque ſeu medicamina, ſeu cauſſæ peccantis indicia tempore delentur potiùs, quàm confirmantur, inconſtantia reputate: rem certam, & infallibilem nemo ſilentio obliteraſſet: evenire non eſt negandum, ut quandoque gallica lues ſuum ſibi ſervet ingenium etiam dum ſanguinem menſtruum comitatur, & hujuſmodi colore fluor non obruatur: ſed hinc erutum dogma, cavete ne perpetuum admittatis; De non gallico ait Weinhart: *Nunc menſes comitatur, nunc ceſſantibus perſtat.* Heiſterus: *intermittere ſolet fluentibus menſtruis.* Hæ voces etiam poſt Baglivum non ſonant ſignum infallibile. Quid ſi cruor copioſus, atrorubens, & fętidus per biduum promanet; tertio die albus ſuccedat; quarto, quintoque cruentus iterum appareat; rurſus per aliquot dies albus ſequatur, & hunc ceſſantem excipiant dolores artuum arthritici: uti legimus apud Hoffmannum caſu 120. ſect. 3.? Ni velitis modò gallicum, modò benignum; non levi certè incitamento de ſyphillide ſententiam dicetis: tamen fuit Herois integerrima. Quid ſi varia præſertim colore fuerint menſtrua? *I ſuoi menſtrui ſono irregolari*, habeo apud Armilleum, conſil. 149. tom. 1. pag. 252. *tanto nel tempo, che nella qualità, e quantità; eſſendo il ſangue alcune volte pallido, e ſeroſo, altre florido, ed altre oſcuro.* Cur, & femina quidem, non re-

 ſpondeat

ſpondeat albeſcere ſanguinem ex intervallo erumpentem, ob humoris præter naturam continenter fluentis admixtionem? Sed ipſa ſe fallet, & Medicum. Quid ſi utero undique ſcirrhoſo, & vagina fermè putri non evadat ſingulis menſibus ſanguis, ſed liquor perpetuus, & acer adeo, tenaxque, ut ſub Mortis falcem demum detrudat? Labes celtica definiretur; verùm injuria, uti auctor eſt Graaſſius. Sit igitur, ut ſermonem in pauciſſima contraham, inſtar omnium, qui rem hanc examinatiùs deſcripſerunt, Aſtruc de morb.Venereis lib.3. cap.1.

7. *Haud me latet quid a Scriptoribus nonnullis vulgo afferatur ad inſtituendam, ut ipſi putant, certiſſimam utriuſque morbi diagnoſim: volunt nempe fluxum gonorrhoicum, & virulentum eſſe quoties permanet conſpicuus fluentibus etiam Catameniis: Contrà verò fluorem muliebrem ſeu album eſſe, quoties evaneſcit, ſeu potiùs videtur evaneſcere prodeuntibus menſtruis, non rediturus niſi menſes ceſſaverint. Sed hæc quantavis proferantur confidentiâ ad gonorrhæam virulentam fluore muliebri dignoſcendam nequaquam poſſunt conducere. in quo conſentientem habemus experientiam.* Enimverò licet gonorrheæ materia per diſtincta loca ſoleat excerni, fluor per eoſdem, per quos menſtrua ductus, plerumque abeat, uti docet unus omniũ ſuper his accuratiſſimus Graaſſius: nihilominus, quia gonorrhæa poteſt etiam abſque improbo coitu generari, deſideratur diſcrimen a materiæ nequioris qualitate petitum, ut ſanguine vel admixto colorem retineat albidulum: id non eſt, unde procul omni errandi formidine finiatur; nihil enim eſt, quamobrem aliquando non fiat, ut ſanguinis a magis rectis carceribus evadentis fervore, quod gallico veneno producitur, interſiſtatur, ſuiſque in ſedibus hæreat: nihil quamobrem aliquando non tingatur illo rapidiùs inter partes albas ſeſe agente: nihil quamobrem non aliquando ita exiguum ſit, ut nequeat ſanguinem immutare; ſicut & humor a benigna gonorrhæa ita multus, ut ad certam quamdam adigat albitudinem.

8. E-

8. Eruntne tandem, inquitis, quibus gallicū humorē determinemus? Præclariorum tuba concrepat, gonorrhœa virulenta prehenſas Virum ſuſtinere non poſſe; paucum, tenacem, graveolentem, ſubviridem humorem effundere, de acerbitate circa partes pudendas, æſtuque eo loci nimio lamentari. Multatas fluore albo, multum emittere; de lumborum dolore conqueri; in maciem properare. Quas excretio ſeminalis lymphæ corripuit; eæ album, limpidum, ſubſtantia mediocrem, odore non gravem excernunt, nec ſine quadam voluptaria titillatione. Iſtane credemus infallibilia? nequaquam: Et gallicum virus traductum extrinſecùs, ac ſuſceptum perducit ad maciem, eaque omnia, ad quæ fluor albus: & hic ad ulcera, formidandaque illius ſymptomata. Quid agemus? Mea quantulacumq: eſt, tubis potioribus circumfuſa ſtipula, vileſcit; quāquam enim loco mediocris; merito nihilominus infima eſt, ac deſpicabilis: ſed quia neceſſe eſt illam immurmurare; jam aperit, gallicum virus ſincera Mulieris profeſſione determinari: Si hæc Medicum eludat, *ſibi imputet*, ait Graſſius, *digna enim talis eſt, ut nequitiæ ſuæ debitas pœnas luat*: Ecquis neſciat, omnia quum Confeſſario, tum Medico eſſe denudanda?

9. Manet nos uterus, vindiceſque ſperat, ac reparatores: dilabamur ad quod reliquum propoſuimus. *Sylvii de le Boe* ſententiam fortaſſis inexplicitam tranſmitto: & ad eos, qui Sylviani volunt audiri, exorans patientem aurē, ſic eloquor. Fluoris albi *natura*, Ettmulleri arbitratu *a nemine legitimè producta fuit*, *& explicata*: propterea ſi viæ per quas itum eſt, non perduxere, quò cupimus; liceat alias ingredi, ſed non ſine Peritiorum monitionibus. Primùm cavete, ne cum Hoffmanno putetis excretionem hanc inter ſalutares, *quibus*, ut loquitur, *ſe Natura ab humoribus excrementitiis, ſalſis, acribus, corruptis vindicat*: quamobrem ad laudabilem medicatum, *Hinc*, ait, *nemini non poteſt eſſe perſpicuum quàmgraves ii committant errores, qui has evacuationes externis conſtringentibus cohibere moliuntur*:

liuntur: probandum ſanè arbitror documentum poſtremum; excludendum omninò quod primum eſt. Inſignis virīū lānguor, ulcera, macies, genitalium apoſtemata, mors non videntur motibus ſalutaribus adſcribenda: Et quò illud adverſus citatum caſum centeſimum vigeſimum: *Uxor ad roborandum uterum, ipſi imponat epithema ex vino rubro gallico, mentha, caryophillis, chamomilla romana, & roremarino coctum?* nonne ut extrinſecús queat adſtringere? Adoleſcẽtes quos rectæ methodi cura ſollicitat, habete ratum, quæ per uterum ſub hoc fluore deturbantur, expelli non abſimiliter, atque Pleuriticorum quorumdam materia integro pulmone expectoratur: non licet hanc intus repellere; ſed nec critico, ſalutarique motu partam evulgare. Ubi ab his caviſtis; in ſequentem meum ſermonem deſcendite.

10. Admitto triplicem fluorem: Gallicum; Seminalẽ, &, antonomaſticè Album. Primum eruo ab iniqua venere: Alterum a lympha ſalſa, quæ oblectamenti ſuſcitatrix eſt, aut præ copia, aut præ quovis alio etiam ſolidorũ peccato, effluente. Tertium a genito acri veneno, in primarũ viarũ latibulis, quod non ſecus, atque Cantharides ad veſicam, ad infernam alvum Cathartica, humores ad ſpermatis conceptacula compellat, poſtquam interturbavit, ac perdidit. Poſtremum hunc. de quo lis eſt, non voco Muliebrem cum Heurnio, & Cyrillo, quamquam repeto ab univerſo corpore, quia ſexum in utrumque ſæviiſſe comperio: Non voco uterinum, quia ſæpiſſimè fieri oſtendam, ut uterus ſub tragediæ finem inter actores enumeretur. Confirmemus iſthæc judicia prætermiſſis gonorrhæis. Succus, cui malum debet attribui; ſit oportet ejuſmodi, ut ſtomachi morſum Jejunis pariat, frangat appetentiam, & in ore ulcera fervida excitet, commonente Hippocrate, ubi morbum explicat. Atque huc ſpectat, quia in ſalium furorem ſpectat aphoriſmus 56. quinctæ: *Si fluori muliebri ſupervenerit convulſio, malum.* Sit qui ſuppreſſus valeat diabetem excitare obſervante Ballonio, & ſcribente *Diabetes illius loco multo funeſtior ſucceſſit; manifeſtum ſuis ſe ſignis exprimens:*

mens: tres, aut quatuor menſes exercuit, & ad mortem comitatus eſt. Sit, qui aſſurgat poſt abuſum Catharticorũ, ut accipimus a Platero apud Sennertum. Sit demum tam acris, ut perducat ad maciem, ut muliebria exulceret, ac putrefaciat.

11. Jam verò explanatiùs, & uberiús: ſi neceſſariò debet in culpa eſſe uterus, & quidquid ſervit ſemini muliebri generando; Succus hic, vel repetendus a teſtibus Mulierum, & ille quidem, cui refertur maximam partem in acceptis incitamentum ad venerem, uti de ſuibus conſtat, nam ſi illum amittunt, non veniunt ad marem appetendum: vel a plicis externis ipſius uteri; vel a glandulis quum ad oſtium uteri; tum a botriformibus in vagina: porro non licet alibi conquirere. Quid ſi fluor obſervatus eſt in Puellis, quarum teſtes ad munus nondum aſſurrexerunt, ſicut ovarium in tenerrimis gallinis? *Occupat hic fluxus*, inquit Ettmullerus, *omnis ætatis, & omnis ſtatus femellas, tredecim annorum, novennes, ſeptennales, triennales*: Et addatis per me licet hereditarium a primo lucis aſpectu in Infantula, cujus Mater offertur Hoffmanno caſu 108. pag. 502. in conſiliis. Quid ſi uterus, aut in plicas admittendas nondum venit, ut in puellulis; aut diſtentus eſt, ut in gravidis? Quid ſi glandulæ vel inconſpicuæ, ut, niſi colluvie, non dilatentur, ac turgeant; quod fateri in immaturis debemus: vel ſatis emunctæ, ut in ſubactis uxoribus? *Virgines*, ait Sylvius, *& Vxores, Viduæ, & Juvenculæ, Conſiſtentes, & Seneſcentes, Fertiles, & Steriles ipſum patiuntur ſatis ſæpè moleſtum.* Sub tam variis circumſtantiis, uterique multiplici ſtatu, cauſſam, quę ſemper eadem pariat ſymptomata, mihi non perſuaſerim. Quid poſtremò ſi Medicorum celeberrimi, ejuſmodi fluxum Viris attribuunt? Audite Mercurialem tom. 2. conſultat. 45. pag. 101. *Ego ſum hujus ſententiæ etiam Viris eum affectum contingere, qui Mulieres frequenter exercet: ſolent enim Mulieres prę̨ter ſeminis profluvium, fluorem pati, quem idcirco fluxũ*

muliebrem, ſeu menſes albos appellant, qui fluxus nihil aliud eſt, quàm deſcenſus ad uterum materiæ pituitoſæ, & morbidæ...... quem fluorem, haud ſecus evenire ſemper exiſtimavi, quàm demiſſa ex toto corpore, aut ex aliqua parte materia pituitoſa ad vaſa ſpermatica. Audite Montanum conſil. 288. pag. 703. de quodam Viro habentē. *Liberè dico, quod credo, illum non pati veram gonorrhœam, ſed ad alborum fluxionem iſtum veniſſe opinor... fluunt ejuſmodi Alba, ſi eſt Mulier per vulvam; ſi eſt Vir per penem.* Uterum quandoque non lædi, evincit Galenus aſſerens 6. de loc. affect. cap. 5. pag. 41. *Accidit interdum fœminis Muliebre vocatum profluvium, vel utero haudquaquam affecto, quum videlicet univerſum corpus per ipſum expurgatur, evacuaturque: quemadmodum interdum per renes quoque evacuatur... Etiam intacto utero, ſed univerſo corpori adhibitis remediis ſanavimus.* Evincit experientia, per quam novimus non intermiſſam fœcunditatem ſub fluore: nec diſtamus a Graaffio, cujus ſunt: *Si præter naturam fluxus ille per vaginam deturbetur, Uterus ipſe & excipere, & retinere ſemen poterit, itaut conceptio nequaquam impediatur; aut fœtus ab ejus ſuppreſſione lædatur: cujus rei exempla quandoque vidimus.* Ne multa: Si nec impeditur conceptio, nec abſoluta fœcundatione mala recens pariuntur, culpandæ ſané ſunt glandulæ, quæ pro uteri veſtibulo jacent, & quæ ſunt in vagina. Quis contendat præcipuam morbi cauſſam neceſſariò ab utero exorituram? Verúm cur cum ſatis multis non arbitrabimur, generari quoſdam ſales in glandulis Meſenterii, aut alio quovis primarum viarum latibulo, quum vitio digeſtionis, tum depravati ſucci nutritii delabentis per nervos? Ejuſmodi ſalibus adſcribetur humorum diſſolutio, & ad vaſa omnia ſeu uterina, ſeu ſpermatica compulſio: ab his non infeliciter explicabitur, quamobrem cachecticus habitus oboriatur, perduntur enim circumeuntium compages. Stomachi morſus, atque oris ulcera ſunt ab halitu acriore, qui ab imis viſceri-

bus

bus evadat. Appetentia proſternitur, quód acre, dum nimium eſt, peſſum dat liquorem exurinum: nec Solidorum robur laudabile: quare congeſtio acidoglutineæ materiæ, & a ſtimulo vomitus. Dolor in lumbis & a copia fatigante, & a qualitate eſt, unde etiam Macies, ab eroſione ſcilicet, atque nimia copia, quæ faceſſit a corpore. Hęc ad evincendum quod propoſuimus, ſatis: non negamus ab utero quandoque primum morbi fomitem: ſed talia ii viderint, quorum eſt agere de quacumque fluoris generatione.

IN SUMMA

Non quicumque Fluor Albus eſt gallicus. Gallicum infallibiliter detegi, quòd fluentibus menſtruis non interſiſtat, aut occultetur, planè falſum eſt. Qui longè diſtat a benigniore gonorrhæa rarò admodum cauſſam primariam repetit ab Utero.

FINIS

DIſpoſui naſum ſecare fœtentem; timeat, qui ſtrumoſus eſt: volo Corniculæ detrahere garrienti; randidulam ſe intelligat Cornix: dico quoſdam ſcelere, perjurio, falſitate ad dignitatem neſcio quam perveniſſe; quid ad Te, qui te intelligis innocentem? Rideo Advocatum, qui Patrono egeat: quadrante indignam eloquentiam nare ſubſanno; quid ad Te, qui diſertus es?

S. Hieronymus Lib. I. Epiſt. 16.

SPECTABILIS

AUGUSTINI

GIUFFRIDA

Primariæ Medicinæ Profeſſoris
Catanæ, Acis, Maſcalarum &c.

Iterum

ARCHIATRI

QUÆSITA MEDICA

In

Catanenſium quorumdam anticipatam Informationem.

PARS ALTERA

Complectitur Prælectiones in Catanenſi, totique Siciliæ unico Lyceo habitas, anno poſtremo conſtituti ad Magiſtrationem curriculi.

Accedit Exercitatio Singularis
de Ideis.

Vix ulla perpetua præcepta Medicinalis Ars recipit: Eſt enim Ars Conjecturalis: neque reſpondet ei plerumque non ſolùm Conjectura; ſed etiam experientia.

Celſus in proœmio.

Multa fidem promiſſa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Horat. Epiſtol. 2. lib. 2.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quid Baglivi Canones de Medicina Solidorum ad Profeſſionis hujuſce Studioſum informandum, expoliendumve?

QUorumdam obfirmata in erroribus, & auctoritate magni (horum arbitratu) Doctoris emunita judicia, patientiſſimum quemque, ſed alia ſentientem, ita ſtimulant; ut ad conatus cœteroqui non ſubeundos exſuſcitent; ne hic percalluiſſe, immò prorſus obduruiſſe videatur. Spondeant quiqui ſunt jurejurando ſervaturos, executuros, docturos quidquid protulit *Baglivus*: quid illud Aliis quibuſcumque fidem, auctoritatem, rationem adimere? Sat eſt, nulla interpretatione, exacto nullo examine, reſtrictione admodum nulla, quales proferuntur, bibiſſe auribus exporrectis Canones, ut ſiquid aliter fiat, ad Artem fieri pernegetur? O vanitatem exterminandam! Expendamus ſingulos: nonnullos in pauca conferemus ad vitandam ſupervacaneam garrulitatem: plurimos ad inciſi notam exſcribemus: ſiquid omittetur, habeatur a propoſito alienum.

CANON I. II. III.

Inveniendum eſt æquilibrium inter Mentem, & Corpus: Primum habebitis a Philoſophia morali: alterum a Statice Sanctorii... Qui hæc non noverit; diù, & ſalubriter vivere non noverit: verum enim eſt & Corpus contra Mentem agere; & Mentem affectibus Corporis concuti. &c.

ANIMADVERSIO.

Induite loricam fidei; & ſellam Sanctorii veſtris portandam humeris imponite: affectibus Animi prædicatione; Cor-

 poris

poris morbis examine ponderis medicabimini. Enimverò per philoſophiam moralem non certandum, niſi verbis ; & quum nulli ſint tam feri, ſuique juris affectus, ut ne diſciplina perdomentur ; nulli tam agreſtes Animi, ut ſuavitate ſermonis ne demulceantur; nulli, quos præmia, pœnæque propoſitæ non coerceant, inflammentve: eam medendi methodum inite, quæ vincendo malo reſpondeat; inſtate, nimiùm patienter corripite ; dies noctesque in perſuaſione conſumite. Sed cavete, ne cachinnum excutiatis Aſſecutis, alium eſſe Corporis Medicum, alium Animorum; ne quibuſdam Ægrotis novus pro garrulitate morbus accedatis. Ipſe quamquam accepi a Sanctorio de anim. affect. aph. 12: *Paſſio Animi non medicinis, ſed alia paſſione contraria ſuperatur; contraria enim ſub eodem genere*: quum in me deſcenderim & inſuavem, & præceptis, inſtitutiſque moralis philoſophiæ non abundantem, ſed ad unam neceſſitatem inſtructum ; morbos ab Anima in corpus, Aliis demandavi: & demandabo: Quod ſi Animus contriſtatur a corpore, exequar munus meum. Nonne ab eodem Sanctorio aph. 17. ibid. *Melancholia duplici via ſuperatur vel libera perſpiratione; vel aliqua continua animi conſolatione*? Nonne aph. 30. *Edulia, quæ aperiunt, gaudium; quæ verò impediunt perſpirationem, mæſtitiam movent*? Ni velimus eſſe *Blaterones*, quales evulgantur a Baglivo in legibus, qui *Sanctoriani non ſunt*; & tantum doctorem ſibimet non concordantem exiſtimare ; concedendum diſcrimen eſt inter morbos, qui primùm ab Animo & in ſua cogitatione tenaciter defixo naſcuntur; atque his unam poſſe philoſophiam moralem occurrere; Et qui oriuntur a Corpore, ut Animum opprimant; atque his noſtrum opponendum eſſe medicatum. Poſſe aliter aliquando ſuccedere, fateor; ſed moralem philoſophiam neceſſarium in uſum a Medico trahendam, nòn fateor: plura enim quàm pro corpore fuiſſent literis vel ab Hippocrate demandanda. Baglivus lib. 1. prax. num. 2. cap. 14. ut evincat, manifeſtum eſſe ab quotidiana experientia, paſſiones Animi agere in corpus, habet inter cætera: *In principio peſtis multi hoc morbo*

bo corripiuntur; & *pereunt, quia tanti mali timore* & *publicæ calamitatis anxietate potiùs, quàm contagio eundem contraxerunt: progreſſu verò ejuſdem repetita caſuum obſervatione, impavidi, magiſque conſtantes redditi homines, non ita facilè corripiuntur,* & *ſi corripiuntur, faciliùs liberantur: ut Auctores fide digni obſervarunt.* Suntne inter ea, quæ ſuggerit quotidiana experientia, quæcumque Auctores fide digni obſervarunt? Et cur non conſulta peſtis Boum, Gallinarumque, in quibus nullus locus timori? Cur in principio clades major, quando Peſtis nondum definita? Cur omnes Puelli non ſupervivunt? Sed hæc a nobis, in evulgata exercitatione academica quantum ad cauſam Peſtis. Progrediamur. Si benè memini, ſuimet Medicus eſſe debet Ægrotus, qui vitia nutrit: nec prudenrer ab Aliis exprobratur. Ipſe *Baglivus* ante reportatam *Senecæ* prolixam orationem habet n. 6. lib. 1. prax. *Reſtant nunc dicenda nonnulla de curatione illorum:* & *quidem in ipſo limine fatendum, illam pænè omnem in Ægrotantis animo moralibus virtutibus, patientia nempe, fortitudine, prudentia, tranquillitate* & *reliquis optimè munito, ac inſtituto repoſitam eſſe. Quod ſi non fiat, omne genus remediorum, omneſque Medicorum conatus inutiles propemodum erunt, ac vani.* Si mea conſilia non probatis, diſcite a Baglivo methodum medendi Animi morbis: aut in hæc per *Valleſium* 6. de morb. popular. ſect. 5. num. 10. propoſita incumbite, veſtriſque ſic laborantibus inculcate: *Quicumque ſibi totum benè perſpectum vult, exerceat ſeſe ſatis;* & *convenienti cibo utatur;* & *ſomno, qui ſatis ſit ad concoctionem:* & *reliquum tempus meditetur, quæ pertineant ad pietatem,* & *ſcientiam; ita enim vivet* & *Sanus,* & *Probus,* & *Doctus.*

Quò ſtatice Sanctorii? Ut Animam in corpus; atque hoc adverſus illam agere, explicata etiam quæ per ſpiramenta cutis evolat, materia, intelligamus? minimè gentium: ſed ut ſtaterâ ſuſpendamus quemcumque noſtræ virtuti deditum, & conſecratum. Hoc Sanctorio docente obtinebimus: illud conſultis primis philoſophiæ, medicinæque Præ-

ſeptoribus. Attendite: habet Plato in Tymæo: *Unà eſt ad utrumque ſalus, & conſervatio, ut neque Animam ſine corpore, neque corpus abſqae Anima moveamus: ut in mutua contentione exæquatis invicem viribus inſurgentia bonam totius valetudinem tueantur. Quando Anima corpore admodum potentior eſt, exultat in eo, atque effertur, totum ipſum intrinſecùs quatiens, languoribus implet. Quando etiam ad diſcendum, inveſtigandumque, collectis in unum viribus vehementer incumbit; liquefacit protinùs corpus, & labefactat. Dolore afflictus Animus propter corpus, in gravitatem plurimam incidit: acris enim, & infeſta pituita; amari item, felleique humores, quando oberrantes per corpus non exhalant,* (notate) *ſed per viſcera revoluti vaporem ſuum penetralibus Animæ ipſius infundunt; languores Animæ varios, & magis ac minùs tum plures, tum pauciores efficiunt.*

Habet de perſpiratione *Galenus*, ut taceam de cognoſcendis, & curandis Animi morbis, prim. de Sanit. tuend. cap. 14. lit: F. *Idem expurgandi modus etiam tertio excrementorum genere retento, & quod per ſingulas animalis partes colligi diximus, conveniat: nam ſi contracta ſunt, & tanquam connivéant meatuum ora, per adverſa iis, quæ ſic affecerunt, ſuccurrendum eſt: nempe quæ ex frigidis cauſſis ortæ coarctationes, conſtipationeſque carneæ molis ſunt, veluti quum ex ambientis frigore corporibus noſtris inciderunt, eas calfaciendo. Rurſus eas, quæ calori, ſiccitatique ſupervenerunt, veluti quæ fervoribus Solis evenerunt, refrigerando, & humectando. Pari modo & quæ adſtringentium vitio provenere, cujus generis ſunt aluminoſæ aquæ, has pingui, ac molli frictione, unà cum dulcis aquæ balneo reparando. Quod ſi vel craſſitudinis, vel abundantiæ, vel lentoris excrementorum vitio obſtructi meatus ſunt, tenuatoria victus ratio his apta erit: propterea medicamenta, quæ calefaciunt, ac diſſecant; quædam intró devorata; quædam foris admota, antéque hæc omnia, Exercitatio: nam ea quoque tum ſolvere excrementa poteſt; tum per ſudoris meatus ejicere... Exer-*

tatio-

citationibus firmitas quædam membris accedet, quum & naturalis ipſe calor accenditur, & ex partium inter ſe attritu duritia quædam comparatur. Sunt ſanè iſthæc, quæ ſufficiant ad expirationem per cutim; ad vim reciprocam Animi, Corporiſque cognoſcendam: quare non opus Sanctorio, quum eo Superiores innumeri ſuper his plurima & explicatiſſimè, & uberrimè, &, conſideratis *Galeni* vèrbis, etiam ſatis mechanicè fecerint.

Habet Sanctorius de cib. & pot. aph. 34. *Si ſciveris quotidie quantum cibi tibi conveniat, ſcies diutiſſimè virtutem, & vitam conſervare.* Et 57. *Tunc erit cibandi tempus, quando corpus reducetur ad illud pondus, ſalubre tamen, quo fruebatur paullo ante, quàm heſterno die ingeſſiſſet cibum: iſtud,* (notate) *ſolus Apollo ſine trutina ſciet.* Tandem ſub finem Libelli: *In hac ſella ſedendo*, inquit, *facilè inter comedendum animadvertimus, quando pervenimus ad debitam cibi, & potûs quantitatem, ultrà, vel citrâ quam lædimur.* Unde, niſi à ſtatera definiatur æquilibrium? Quî muneri veſtro pares eritis, quin unumquemque ſuſpendatis Ægrotantem? Hem huc tres primi de Medicina Solidorum Canones evaſerunt!

Libera ſi dentur Populo ſuffragia; quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

CANON IV.

Mirantur multi Medicos intemperatè vivere, tamen ſanè vivere. Staticen Sanctorii in uſum ſex rerum non naturalium quotidie adhibent, & ſanè vivunt. Quæ Artis arcana in inſanum pandere vulgus, nefas eſt: nam Medicis hodie minor, quàm par eſt, reverentia. &c.

ANIMADVERSIO.

O fortunatos Adoleſcentes, qui hos in Canones incidiſtis! Vivatis licèt intemperatè; ſanam vitam vivetis, ſi ſta-

ticen adhibebitis. Vobis arcanum jam nunc aperitur: pereant qui vos non reverentur; quique meritis præmiis non onerant. Verùm quid de Medicis ante Sanctorium; de Vulgi parte maxima intemperatè, & integrè vivente? Quid ſi etiam vulgo Statera patet? Id Baglivum docuit Philoſophia Moralis, ut ob minorem erga ſe reverentiam, minoraque præmia, nolit Vulgo conſervandæ ſanitatis nudare conſilia? Heu quanto dolendum magis eſt, hæc noviſſe Baglivum, & præcoci Fato ſuccubuiſſe!

CANON V.

Sicuti conſervatio ſanitatis inſtituitur detractione eorum, quæ exuberant, & eorum additione, quæ deficiunt, habita cognitione per Staticen occulti perſpirabilis uniuſcujuſque: ita & morborum curatio per eaſdem dirigetur regulas. &c.

ANIMADVERSIO.

Satiùs fuerat non evulgare Canonem de Solidis, ſed reportare primum Sanctorii aphoriſmum: *Si quanta, & qualis oporteat, quotidie fieret additio eorum, quæ excedunt, Sanitas amiſſa recuperaretur, & præſens ſemper conſervaretur*. Cur non apertiùs dictum eſt *Habita cognitione per ſellam*? Statice ſellam adhibet, ut nos de adjectione, & detractione commonefaciat. Sed quid ſi *Hippocrates* ſellam nunquam novit, & præceptum prorſus idem habet, ubi de flat. En verba: *Medicina nihil aliud eſt, niſi adpoſitio, & ablatio: Ablatio quidem eorum, quæ excedunt; Adpoſitio verò eorum, quæ deficiunt: Qui autem iſtud optimè facere poteſt, is optimus Medicus cenſebitur; quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficit quoque ab ipſa arte*. Num omnes ad Sanctorium uſque defecerunt?

CANON VI.

Mirantur multi ſobrios, & temperatos homines nec diutiùs cæteris vivere, nec ſalubriter; imo ſępè vita tolli derepentè: Sanctorii Staticen ignorant.... Medicis tam facilè non contingit, quia Statices ſunt periti.

ANIMADVERSIO.

Poterat & hic Sanctorii verbis exprimi. *Si ſobrii* de cib. & pot. 78. & *in victu temperati, prœmaturè moriantur: Amici mirantur novitatem, quia de perſpiratione inſenſibili nihil ſciunt.* Num ſingularis præmaturæ mortis cauſa iſtius generis expiratio eſt? profectò neutiquam. Num a nota Statera Sanctorii aut Amici doctiores evaſerunt; aut Medicis promptius fuit aliis ſuccurrere, ſibique conſulere? Non ita ſanè. Paucis: quid ex Canone? ut ponatur admiratio, quum talia evenerint, quia jam nota cauſa eſt: ut Medici ſeu frugales, ſeu intemperati credantur ſalubriter, ac diú vivere, quia norunt uti ſpiramentis cutis: Verúm quia hæc fuerunt etiam ante Sanctorium, nihil adhuc de Medicina ſolidorum; nihil de Stateræ neceſſitate.

CANON VII.

Fallitur ignarum vulgus, ſi credit, æſtate morbos vehementiùs lædere, atque vagari frequentiùs ob nimiam in eſu fructuum intemperantiam. Ægrotant potiùs homines, quia inſenſibilem tranſpirationem æſtate copioſiorem aurâ frigidâ diù, vel noctu incautè ſumptâ repentè deprimunt, atque coërcent. &c.

ANIMADVERSIO.

Oro, ne ſententiam antè dicatis, quàm ſucceſſuum numero erudiamini: Plures æſtate ægrotant impeditâ, quæ per ſpiramenta cutis exhalet, materiâ, quàm ventriculi vitio!

Aſſeritur; ſed nullis hic rationibus, nulla eventuum enumeratione ſtabilitur. Quare non potiús dicetur nocere, quod ſudore ſtipata Perſpiratio, quàm quòd inhibita? *Perſpiratio inſenſibilis juncta cum ſudore, mala; quia ſudor fibrarum vires diminuit*, ait Sanctorius aph. 23. Et 62. *Si magis ſolito noctu perſpiraveris, ſed ſine ſudore, atque omni moleſtia; perſuaſum te habeas de optima valetudine*. Diſcutiendum igitur, an ſæpiùs æſtate jungatur cum ſudore; quàm eò repellatur, unde eruperat. Unum frigus inconſideratè admiſſum, repellit intrò materiam: ſed huic exitum quærenti favet humorum liquatio æſtate neceſſaria ob vehementiorem a Sole exagitationem: & quæ portam offert libentiſſimè Solidorum laxitas ob aeris & fervorem, & minorem gravitationem. Quid eſt, quod faveat digeſtioni ab intemperato fructuum uſu? Solidi ne virtus, an liquor gaſtricus nimiis potibus admixtus, & ob ſomnum breviorem, raptim, pauloque laudabiliter ſecretus? Nonne medicationes fermè omnes initium habent a vomitoriis; raro admodum a ſolis, quæ ſpiramenta iſthæc aperiant? Cur ergo frigidam potiùs auram criminabimur, quàm fructus? Demum reſtringendum putate canonem ad Debiles: en vobis Sanctorium aph. 68. *Frigus externum prohibet Perſpirationem in debili: in robuſto veró auget*. Quid quod univerſim pronunciatur?

CANON VIII. IX. X.

Notitia Solidorum variè oſcillantium, & liquidorum vario modo currentium per corpus animatum ad doctrinam Statices ritè percipiendam maximè conferunt.

Si Sanctorio doctrina circulationis nota fuiſſet, quàm minori incommodo, ac feliciori auſu ſtaticen ſuam conſcripſiſſet! Statice Sanctorii, & circulatio Harveana ſunt duo poli, quibus univerſa regitur veræ Medicinæ moles hiſce inventis reſtituta, & confirmata: reliqua potiùs illam exornant, quàm augent.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Expungenda iſthæc arbitror, quia nec de Medicina Solidorum agunt, nec canones ſunt, ſed vota Baglivi. Hic prima legum, quas canonibus adnectit, ſic loquitur: *In veris ſenſibus practices, & naturæ morborum eruendis, Hippocratici, & Duretiani præferuntur.* Fuitne Medicina in Hippocrate & Dureto ſine polis; an vera non cenſenda? Nonne ſunt ejuſdem Baglivi 2. prax. medic. cap. 5. n. 5. *Illos Tibi Auctores legendos conſulimus, qui cum Natura perpetuó cohabitantes, & majori diligentia quàm ſtrepitu, morborum naturam, curationemque inveſtigantes, Solidam, Inconcuſſam, & Perpetuam medendi methodum decreverunt. Inter Græcos ſunt Hippocrates, Cœlius Aurelianus, Aëtius, Aretæus, Galenus &c.* Solida, Inconcuſſa, Perpetua methodus ſine polis? Adoleſcentes mei, experimento, rationeque regitur hæcce moles: Sanctorii, Harveique inventis exornatur. Quot his ornamentis deſtituti ad eam gloriam pervenere, quam ſuſpicere, atque expetere poſſunt, nequaquam conſequi noſtra tempora! Præterea incumbite, amabo vos, in hæc: Ex lege ultima Bagliviana *Qui in Theorice Sanctoriani, & Harveani non ſunt, habentor Blaterones.* Laudabimuſne theoreticas inſtitutiones, quæ in practicam exercitationem non manuducunt? profectò neutiquam. Omnium igitur laudabiliſſima theoretica doctrina Sanctorii: num Galenica non eſt? Sed *Galenicorum theoria*, inquit Baglivus 1. prax. medic. cap. 11. n. 6. *non ſolùm per inanem quæſtionum exercitationem imbecillos multorum animos a recta praxeos ratione abducit: verùm moleſta rerum jam dictarum* (Væ nigræ dicebat Cacabus ollæ) *repetitione, inventionis ſterilitate, argutiarumque dialecticarum in rejiciendis, & retorquendis argumentis oſtentatione denſiſſimas ſuæ praxi tenebras obducit; & confuſo, prolixoque illo argumentandi genere incertas pariter, & obſcuras indicationes in curandis morbis exponit; unde profectó tot abſurda, tantaque diſſidia in ſecta & ſectatoribus Galeni ſemper extiterunt.*

Suntne minores tricæ in Sanctorio ubi de methodo vitandorum errorum? Legatur de Indicantium æquilibrio: De logicis principiis, quibus probetur, locum affectum non indicare. Ne longus ſim; ubi de veſicantibus ad primum argumentum, totus eſt in Summulis: en pauca: *Argumentum eſt in ſecunda figura ex duabus affirmativis, & ad primam reduci non poteſt. Major propoſitio eſt falſa: minor non poteſt converti: Exempla, Experimenta, Inductiones nullo modo concludunt.* An toti erimus in explicationibus, quas edidit in Artem medicinalem Galeni? An in iis, quas ad Primam Fen Avicennæ, ut continenter præ oculis, manibuſque habeamus lectum artificioſum cum ſella; Cotylam, qua dignoſcamus, an ſiſtole pulſus ſit vehementior diaſtole; Stateram, qua dimetiamur ventorum impetum, atque idgenus plurima? Vereor, ne Baglivus Statices tantùm aphoriſmos conſuluerit: Sed non eſſe Sanctorianum certò ſcio: Sitne Duretianus in ultimo canone decidetur.

CANON XI.

Qui benè noverit æquilibrium inter ſolida oſcillantia, & liquida currentia; morbos quamplures rectè curare noverit: Quique inſenſibilis tranſpirationis modum, & quantitatem cum aliorum excrementorum fluxu, atque copia ritè comparare, & æquilibrium, proportionemque invenire ſciverit, tutó vel in difficillimis morbis remedia præſcribet.

ANIMADVERSIO.

Æquilibrium, Oſcillatio, Liquidum currens, vocabula Vetuſtioribus inaudita, horum eximiam diligentiam non minuunt, doctrinam non redarguunt, practicam exercitationem ne hilum quidem minorem patefaciunt: ſonant mehercle: Qui benè novit ſtatum naturalem, morborumque cauſas, rectè curare noverit. Sed ubinam Canon de Medicina ſolidorum? Quid ſi nemo ad Sanctorium uſque, nemo uſque

que ab Sanctorio; immo nec Sanctorius, nec Baglivus eâ perpenſatione morbos aggreſſi ſunt, ut primùm aſſequerentur ſtaterâ & copiam erumpentis inſenſibilis materiæ; & hujus cum reliquis excrementis comparationem?

CANON. XII.

Aër Romanus ſua vitriolicoaluminoſa natura noxius eſt ſtomacho, & pulmonibus: Pulmones inficit immediato contactu per reſpirationem: ſtomachum verò per ſalivam in ipſum ex palatinis, & aliis ex ore glandulis deſtillantem. &c.

ANIMADVERSIO.

Romano reſpondeat Romanus: Porro Lanciſius, ubi de nativis Romani Cœli qualitatibus ſaluberrimum ſuopte ingenio aërem evulgat, ut eo uno medicante Ægroti perſæpè reſtituantur incolumitati. Fatetur Aphrico, & Auſtro commaculari advenientibus acribus a meridie particulis: Vel halitibus herbæ-Kali, quibus lege per Ss. Papam proviſum eſt. Sed quando tandem Medicina Solidorum?

CANON XIII. ad XVIII.

Ob id Romani præ aliis populis pulmonum & ſtomachi morbis frequenter, ac graviter afficiuntur: Stomacho ſunt debiles, nec benè digerunt &c.

ANIMADVERSIO.

Taceri poterat, quia ſi Romanus Aër pulmonibus, atque ſtomacho nocet; jam notum eſt, Incolarum ſtomachum, ac pulmones affecturum. Quod reliquum eſt, ſicut & alii quinque Canones, ad munditiem dentium pertinent: Non exſcribo, ne tempus inutiliter teram, chartam turpem, veſtram patientiam fatigem. En pauca: *Dentium curam habe-*

to, ut bene digeras: Elegantia & nitor horum ducunt ad intelligendam gingivarum firmitatem, & optimâ chyloſim: Calida & dulcia nocent, quia laxant. Vera omnia, & a Medicinæ memoria per Medicos fermè omnes ad nos delata. Statutum Arabum prædicat Dolæus: *Qui maſticationem negligunt; vitam oderunt.* Nec ſunt libri, qui tacent neceſſariam elegantiam. Sed mirum! Laudat Baglivus, ni fallor, potiones café, thè, cocolatæ, quòd ſtomachum recreant. Hæc, opinor, dentibus non indigent, ideoque illos non laxant! Recolite quod Cardanus ſuper aphoriſmo frigid. oſſ. inim. *Nullibi,* ait, *major lapſus, quàm ad dentium ſalutem conſervandam, in quibus Plures dum ſtudioſos ſe Hippocratis oſtendunt, decepti, calidiſque potibus, ac cibis utentes, primùm quidem dolores, deinde cariem excitarunt: ob quæ mala dentes ſpontè cecidere antè tempus; vel eruere coacti ſint. Unde ex Quincto ſereno repetere liceat.*

Sæpè etiam gelidâ gingivas collue lymphâ,
Dentibus ut firmum poſſis ſervare tenorem.

nonne huc ſpectat nova Medicina Solidorum, ut firmus tenor conſervetur? Quid ſi genas gypſatiſſimæ quædam, miniatæque Mulieres, de quibus mirabundus Sectanus ſaty. 17.

Egregiis olim tabulis, quas livit Apelles,
Vox tantùm deerat: Sed nunc Pictura movetur,
Et loquitur; Veteriſque Ævi miracula ridet!

in dentium decolorationem, oriſque fætorem labantur? Suggerent ne ab his argumentum labefactatæ primò digeſtionis? minimè verò. Eſte igitur prudentes; & ad cauſſam ſordidantem definiendam tardi. Quò illud Baglivianum: *Si vis de digeſtione uniuſcujuſque optimè diſſerere, reſpice dentes?* Sunt præſertim ex Chimicis, qui nullos; ſunt, qui vitio ſanguinis ad gingivas appellentis; ſunt qui malo prorſus externo ſordibus incruſtatos habent: integerrima nihilominùs fruuntur valetudine: Vimne Canonis iſta non fregerint, non reſtrinxerint? Videte, num eadem pœnè fides habenda Capillorum nigrori, ſi vitæ annos enumeremus; quæ, ſi digeſtionem ſpectemus, dentium albitudini.

CAN-

CANON XIX.

Vſu calidorum, acrium, aromaticorum, Calli pedum ſummoperè dolent. Quando ſine cauſa dolent, ſignificant, regnare in liquidis latentem apparatum acrium, acutarum, pungentium particularum: Regnant hæ frequenter culpa prohibitæ tranſpirationis. Quod de callorum &c.

ANIMADVERSIO.

Hujuſce generis calli re ipſa dolorem non concipiunt; ſunt enim ab induratis canaliculis per appoſitam vehementiùs quàm par eſt, nutrimenti materiam. Si urgentur extrinſecùs, ut premant ſubſtratas, adjacenteſve partes, oboritur dolor. Si cauſam intrinſecùs latentem accuſare debemus; non acres tantùmodò poſſumus, & aromatis exagitatos humores; ſed horum etiam copiam a libero curſu tardatam, tenacem qualitatem, & flatum. Sed quis non dicet a nimia potiùs perſpiratione callos fieri, doloremque ſentiri? Calli, ut omittam calceorum iniquitatem, eos infeſtare ſolent, quos vehemens, nimiuſque labor exercuit; uti manus aut Sutorum, aut Cælatorum unicuique perſuadent: ſub iſthoc conatu cumulatior per cutim exhalatio eſt; ſubit verò minùs cocta materia, & adigitur in canaliculos a corde remotiores, ubi fiunt, increſcuntque Calli. Audite Sanctorium aphor. 44. & 45: *Si ex ponderatione videris, ob cauſam violentam perſpirabile plus ſolito evolaſſe; ſcias in locum perſpirabilium violenter evacuatorum, ſtatim confluere cruda; & in meatibus minimis impingi: Quæ impinguntur, ſi fieri poſſunt ſecundùm omnes partes fluxilia ſeu perſpirabilia, bonum: ſin minùs, pars continens priùs fit dura, coriique ſpecimen referens; & deinde ſcirrhoſa.* Quid clariùs? ſed *diutiùs his immorari,* inquit Dolæus, *non operæ pretium ducimus, quia rariſſimè Medici, vel Chirurgi in his conſuluntur ab Ægris.* Vos ut ametis ſuper his conditos canones! nonne una ex cauſis, Baglivo recenſente, eſt nimia exercitatio? cur hæc

traxerit, & neceſſario quidem, perſpirationis impedimentum? *Hoc ſub aratro*
Piſcibus inventis; & fœtæ comparo Mulæ. *Juven.* Sat. 13.

CANON XX.

Mors naturalis venit ob ariditatem, exſiccationemque ſolidorum; & ſalſedinem, atque vappiditatem liquidorum: ſolidis medetur Balneum aquæ tepidæ: Liquidis veró Inſéſibilis Tranſpiratio, & Cibus boni ſucci.

ANIMADVERSIO.

Nihil eſt, quod quadret ad hodiernam Solidorum *oſcillationem*, & Harveanum humorum circuitum. Mors naturalis non ex ariditate Solidorum; ſed ex duritia, quæ nutritioni attribuenda eſt. Quando nequeunt ultrà fibræ recipere, ac diſtrahi; ſic duræ fiunt, ut vim amittant *elaſticam*: propterea non portæ ſecretionum modò, verùm pori, & glandularum *miliarium* oſcula concluduntur: non pervadunt particulæ vel exiliſſimæ; immo non extricabuntur, ſub fermè nullo fibrarum reniſu. Solidis hùc perductis nulla eſt Medicina, quæ opem ferat. Nonne Mors Naturalis? quid a medicamento? inſenſilium expiratio unde expectabitur, quando humores, ut dixi, virtute fibrarum non comminuuntur? ab evirante balneo? Conſulite Sanctorium de exercit. & quit. aph. 35. *Animio exercitio*, ait, *fibræ fiunt duræ: Vnde Senectus eſt univerſalis durities: hæc condenſando meatus, calorem ſuffocat.* Et de ponderat. aph. 80. *Senes neceſſarió moriuntur, quia fibræ illorum ſunt duræ; & ut tales non poſſunt ampliùs renovari; unde Mors.* Utinam aquæ tepidæ balneum, cibique commendabiles, eũ, qui neceſſarius ſub optima nutritione eſt, tardarent interitum! Non hoc docet Theorice Sanctorii, quod Baglivus: an fas fuit experientia reclamante diſcedere?

CAN-

CANON XXI.

Via regia eſt a cuti ad alvum, ab alvo ad cutim: mutuæ ſunt & humorum, & morborum per eas ſucceſſiones. Torminoſa ventris deſinunt in dolorifica articulorum; & contrà: A veſica ad alvum, ab alvo ad veſicam ſunt pariter &c.

ANIMADVERSIO.

Viam ab alvo ad cutim, & contrà, fateor: Regiam non fateor; quia puto perſpirationem inhibitam faciliùs abire per renes. Succeſſiones morborum inter alvum infernam, & caput ſunt frequentiſſimæ, cur præterit tacitus? An illud Hippocratis *Alvi denſitas*, *Cutis laxitas* jam nunc incipiet eſſe canon, quia jam nunc nomen habet Medicina Solidorum? Sed Vos ab Siculo noſtro Fortunato Fideli jamdiú potuiſtis accipere erutos ab Hippocrate conſenſus: & *Confluxiones* quidem per venas, & arterias; *Conſpirationes* per nervos, quia conſpiratio a ſpiritu dicta eſt; *Communicationem* aut manifeſtam, aut occultam, cujuſmodi eſt inter inteſtina, & renes; aut inter uterum & mammas: inter manus, pedes, & viſcera: inter manus, & dentes; quia illæ rubefactæ allio perſanant dolorem dentium, uti Meſues ab experientia: inter pedes & pudenda, ut cum Ariſtotele impoſſibile ſit, aut certè difficile, venereis uti, dum pedes frigent. Legite iterum, iterumque noſtri Fidelis contemplationes medicas; & plurimum profeciſſe cognoſcetis. Si verò Conſenſus omnes, & multo plures aſſequi deſideratis, quám vice multiplici Baglivus inconſultâ Audientium patientiâ perſequitur, adite Sanctorium in Art. medic. Galen. par. 2. digreſſione 93. & habebitis ſexaginta Conſenſus a Galeno extractos: aut capita ſecundi libri de affectuum Idiopathia & ſympathia in methodo vitandorum errorum.

CANON XXII.

Qui nimiùm replentur cibis, ſi poſtea benè dormiant, benèque per ſomnum tranſpirent; non ita facilè ob nimiam repletionem ægrotabunt: ſicuti ægrotarent, ſi non dormierint. Medici vivunt ſine morbis, quia ſomni, & tranſpirationis curam habent continuam; ſomni ad benè digerendum, tranſpirationis ad excrementa digeſtionum benè deſpumanda.

ANIMADVERSIO.

Canone iſthoc ne putetis, obteſtor, exacui ad intemperantiã, expectantes a ſomno remedium. *Si poſtea benè dormiant:* hoc opus, hic labor. Qui benè dormiunt, benèque perſpirant, credi non debent, nimiùm repleti cibis: quare non mirum, ſi non facilè in morbos incidunt; his enim repletio non eſt nimia. Gerant ſomni curam, ut benè digerant Medici, quibus non placet illud Sanctorii de ſomn. & vigil. *Coctio fit ſomno, & quiete: Digeſtio vigilia, & exercitio.* Bagliviani non item; quia ſomnum amant ad benè digerendum. Et ipſi Vos Auditores, qui vitam inculpatam ducitis, an eſtis continenter de perſpiratione ſoliciti?

CANON XXIII.

Qui otioſam, vel negotioſam vitam cum Statice Sanctorii ritè accommodare ſciverit; raró ægrotabit; & ſecurus erit longævitatis &c.

ANIMADVERSIO.

Sed qua methodo ſciverit? en Sanctorium de ponderat. aph. 64. *Obſerva manè poſt aliquam pleniorem cœnam, illam majorem perſpirationem, quæ in te ipſo duodecim horarum ſpatio fieri poſſit: Eſto eſſe quinquaginta uncias: alio mane, ſed poſt jejunium (hac tamen lege; ne prandio præteritæ diei*

ex-

exceſſeris) *idem obſerva*: *Ponamus eſſe viginti*: *hoc præcognito eligas illam cibi*, *&* *aliarum cauſſarum non naturalium moderationem*, *quæ te ad medium inter quinquaginta*, *&* *viginti quotidie ducere poterit*: *medium erit trigintaquinque unciarum*. *Hoc modo ſanctiſſimam*, *&* *diutiſſimam centum annorum vitam duces*. Stateram, Adoleſcentes optimi, ne prætermittite; & centum anni, qui Baglivo fatenti vitam hanc multum dulcem, ipſique Sanctorio contigerint. Verùm cur voſmet non credetis magis longævo Galeno, qui Artis Medicinalis capite 85. *Hi*, *ſunt* ait, *mediocritatis ſcopi*. *In aere quidem ambiente*, *ut neque horreat corpus propter frigus*; *neque ſudet propter æſtum*. *In exercitiis autem*, *quum primùm laſſari cœperit corpus*, *confeſtim quieſcere*: *In cibis autem concoctionis perfectio*, *&* *excrementorum modus in quali*, *quantoque conveniens*: *Æqualis veró eſt in his quodammodo concoctioni appetitus*: *quare neque præſide eget*, (notate) *qui ſingulorum*, *quæ aſſumuntur quantitatem metiatur*: *optima ſiquidem Natura quantum appetit*, *tantum etiam probè concoquit*. *Sic* *&* *ſomno modum ipſa* Natura *præfinit his*, *qui optimam corporis conſtitutionem ſunt ſortiti*: *&* *tum a ſomno excitantur*, *quum ſpiritus ampliore quiete non eget*: *quumque talem victus rationem adhibuerint*; *nullum eſt in eorum excrementis delictum*, *quæ vel per ventrem*; *vel per urinæ meatus*, *vel per totum corpus egeruntur*. *Totum corpus perflari facit exercitii uſus moderatus*. *Liquet autem caveri oportere omnes Animi immodicos affectus*, *quia alterant*, *&* *a naturali ſtatu corpus avertunt*. Hæc ſine ſella: hæc ſine Medicinæ notitia. Num Bruta ſaluberrimam vitam non trahunt, quin Statera expendantur, quin de Statice Sanctoriana cogitent? Siquid Nobis peccatur, Animorum affectibus maximam partem peccatur.

CANON XXIIII.

Quæ de Acido, *&* *AlKali*, *de Archeis*, *de Nitro aerio*, *de acido Pancreatis morborum Domino*, *ſimilibuſque*

hypoteſibus garriunt Medici, ſunt cognitiones nimis abſtractæ, & generales ad morborum naturam inveſtigandam, & removendam. Quæ veró ex Statice Sanctoriana liquidorum, excrementorumque nec non ex æquilibrio ſolida inter & liquida, aliiſque fibrarum affectibus petuntur, e Naturæ libris prodeunt, ejuſdemque oraculo confirmantur.

ANIMADVERSIO.

Garritne Sylvius de le Boe? garrit Fridericus Hoffmannus? ne multa: garrit Hipprocrates? Hic de veter. medic. habet *Ego puto quod non propter calidum ſimpliciter, Homines febricitent: ſed eſt & amarum, & calidum idem: & calidum, ac acidum: & ſalſum, ac calidum, atque alia infinita.* Numquid obſcurum, perplexumque loquitur? quoniam jus facit Baglivus in legibus; provoco ad Hippocratis Genium Martianum. *Raró*, ait, *Caput per conſenſum a ventriculo dolere invenias, quin acetoſa in eo conſiſtant: & qui epilepticis motibus ſunt ſubjecti, ſymptomate corripiuntur, quum acida in ventriculo peccant; id enim vomitiones ſubſecutæ, palam faciunt: Et ego obſervavi quamplurimos podagricos ab eadem cauſa, doloribus tolli conſueviſſe, liberatoſque aut ſaltem mitigatos, ubi acetoſa evomuiſſent. Taceo Mulieres variis uteri ſymptomatibus conflictatas, quæ a vomitione acetoſa veſtigiò liberabantur: Et profectó a copioſo acido, ut patet in hypocondriacis, morbus melancoliæ naſcitur; Somnus abſurdis, ac vanis imaginibus turbatur; Animus continua triſtitia, atque metu concutitur: Cardialgiæ quoque, frequens Vomitio, Ardor, Soda, continuæ Eructationes, Animæ defectio, circa præcordia Anxietas, Alvi quoque crebrior dejectio, vel Cholera etiam frequentiſſimè inde ſuam trahunt originem.* Falſane iſthæc reputanda, quia vel a Pancreate, vel a Duodeno trahitur acidum? an quia febribus gignendis impar evincitur? Sed audite Baglivum, ita de malignis differentem, canone 40. *Philoſophia Chimicomechanica, experimentali teſte ex manifeſtis acidi coagu-*

gu-

gulantis, & acris diſſolventis, aut inflammatorii qualitatibus, vel potiùs ſubſtantiis deducuntur: quo ex fonte omnium origo malignarum. An hic nugas garrit, dum canones offert adverſus acidum morborum dominum?

CANON XXV.

Fruſtra curas chronicos, aut acutos morbos per Purgantia, Diaphoretica, Diuretica, aliaque idgeneris; niſi ſolidorum, & liquidorum naturam ad rectum ordinem reducas. In Chronicis fibrarum laxitas in priſtinam reſtituenda ſoliditatem: In acutis veró criſpatura, & ariditas earumdem.... Si tamen culpa ſui liquidum non currit; eidem tantummodó medendum.

ANIMADVERSIO.

Quorſum primus monitus? reducendane priùs eſt natura ſolidorum, & liquidorum ad rectum ordinem; deinde ne fruſtra fiat, ſuſcipienda curatio? an irritus eſt curandi labor, ſi non reducet demùm naturam ad rectum? Illud volet curationem ſuſcipiendam poſt revocatam ſanitatem: Hoc utinam doceret potiús quid agendum, ut ad exitus perveniremus optatos. In ſiccioribus temperaturis, quamquam chronici ſint morbi, non continuò laxa credenda eſt fibra, ut indigeat ſalſis, aromaticis, revocantibus virtutem. Unde habemus, quoſcumque acutos eſſe a criſpitudine, & ariditate? In memoriam revocate Apoplexias, Anginas, Febres malignas a lymphæ congelatione: & auſu prorſus egregio talia docentem corripietis. Poſtremò ſi continenter inculcatur æquilibrium inter Liquida & Solida; quî poterit uni liquido medicina fieri?

CAN-

CANON XXVI.

Dogma generale: Qui malè degerunt, malè tranſpirant. Perſpiratio inſenſibilis excrementum eſt tertiæ coctionis: quarè ſi benè non fiat prima. &c.

ANIMADVERSIO.

Prudentiùs à multis temperaſſet offerendo Sanctorium de cib. & pot. 84. *Perſpiratio inſenſibilis eſt excrementum tertiæ coctionis; quare ſi non fiat prima, neque tertia fiet concoctio.*

CANON XXVII.

Offert duos aphoriſmos Sanctorii: alterum de cib. & pot. Undecimum: *Stomachus plenus, & vacuus minuunt perſpirationem, plenus eam divertit per ciborum corruptelam: Vacuus eam trahit, ut impleatur.* Alterum quinquageſimumtertium: *Vomitus divertit perſpirationem trahendo ad intra perſpirabile.*

CANON XXVIII.

Perſpectam habere velle mechanicen, qua agunt medicamenta in curatione morborum, difficile eſt; niſi habeatur notitia Statices ſolidorum, & liquidorum; cognitio æquilibrii, virium, & reſiſtentiarum inter ipſa: nam quæ &c.

ANIMADVERSIO.

Jam diximus alibi tàm intereſſe Medico ad ſanitatem revocandam, explanationem Mechanicam; quàm Textori, vel Sutori Mathematica. Diſperearn ſi hoc non eſt, de quo Baglivus lib. 1. Prax. Cap. 7. §. 3. *Vitium hoc ſivè temporis, ſivè Auctorum eſſe ſoleat, omnium pænè Medicorum*

men-

mentem noſtra ætate invaſit, magnamque in ſcientiis turbationem excitavit. Aſtrologus Aſtrologum, Mathematicus Mathematicum, Chimicus Chimicum, Græcus Græcum vult Medicum! Videte, nè ſubſcribendum ſit Joanni Pico. Concluſ. Mathem. 5. num. 18. definienti. *Eſt veriſſimum, Modernos qui de naturalibus mathematicè diſputant, naturalis Philoſophiæ fundamenta deſtruere.* Cœterùm pro librorum nomine firmum etiam exiſtimate illud Martialis lib. 6. Epigram. 60.

Ingenioſa .... Pompilli ſcripta feruntur.
Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
Quàm multi tineas paſcunt, blattaſque diſerti!
Et redimunt ſoli carmina docta Coci!
Neſcio quid plus eſt, quod donat ſæcula chartis
Victurus Genium debet habere liber.

CANON XXIX.

Non benè conveniunt ſimul indicationes irritandi eodem tempore ſolidum, & laxandi liquidum, ut faciunt Scioli medentes, eodem tempore veſicantia, fricationes, ſinapiſmos, uſtiones candenti ferro, vellicationeſque præſcribendò in ſolidis: Et potentia diaphoretica, emetica, aut purgantia in liquidis. Hæ binæ, vividæ &c.

ANIMADVERSIO.

Incidimus aliquando tandem in Canonem de Medicinâ ſolidorum; fatemur verum, ſiquis in ſudorem eliciendum ſpectet, fibris extrinſecùs irritatis. Quid ſi Veſicantia cum Diureticis, aut Catharticis ad lentos capitis morbos debellandos uſurpentur? Indicatio irritandi ſolidum eò pertinet, ut laxetur, ſolvatur, comminuatur liquidum: cur duplici via perficere non contendemus; ut ſub præcipiti valetudinis genere ad voti finem quàm citiſſimè veniamus? Eritne Sciolus, qui definiat, *eodem ſtimulo* ut loquitur Baglivus de Veſic. cap. 4. §. 2. *fieri agitationes, diſſolutiones, mutatio-*

nes contactuum, violentias, & expreſſiones, atque derivationes liquidorum, quà fieri poteſt: Et quoniam in hiſce actionibus plurimum humiditatis abſumunt ſtimuli, ſpirituſque debilitant; per opportuna humectantia, atque corroborantia obviam eundum eſſe; aliter optatus finis a ſtimulis haberi non poterit? Fallimur igitur, an hæc ſonant quod volumus? nihil cauſſæ, quamobrem fallamur: Quæcumque humectant, dimovent humores; ideoque laxant: immo laxant, & ſolidum: tamen non reſpuunt Veſicantia: nec eadem reſpuunt, quæ ſpiritus recreant, excitantque vividos tremores in ſolidis, uti ex Baglivo: ſed poſtremum hoc arbitror non admodum tutum: & addo ex Galeno ubi de optim. ſecta cap. 6. *Neque quod medicinale præceptum utile, verumque ſit, cognoſcere ſatis fuerit; ſed ipſum cum aliis cohærere, conſentireque opus eſt.*

CANON XXX.

Quantum doleo, quando video Medicos violentis, acutiſque diureticis urinam movere velle in chronicis, aliiſque ex infarctu meſenterii, obſtructiſque viſceribus productis morbis. Vrinam tamen &c. Purgantibus mihi notis &c.

ANIMADVERSIO.

Canon eſt de medicina diureticorum, non autem Solidorum, ac Statices. Eſtne tamen perpetuum? non ita, ſi credimus Baglivo: ex ipſo enim de commod. ab uſu Veſicant. quæ ſunt maxima diuretica cap. 3. §. quinto ſuademur, ut ad pertinaces viſcerum obſtructiones, cachexias, emanſiones menſium diuturnas, trahamus ad manum Cantharides, vel forma emplaſtri, vel alio commodiori modo. Quod reliquum eſt: Purgantia, Electuaria, Apozemata ſolutiva, poſſunt illa commendari, quæ nota ſunt Baglivo, ait enim *Et mihi notis*: Quæ nota ſunt reliquis, nobiſque; non aliam certè quàm Diuretica, methodum habent.

CAN-

CANON XXXI.

Qui Staticen Solidorum oſcillantium, & liquidorum currentium vel traditam ab Aliis; vel a Nobis .... poſſidet: ipſam Sanctorii Staticen, atque clavem plurium difficilium morborum naturam reſerandi, tollendique poſſidet &c.

ANIMADVERSIO.

Clavem reſerandi naturam plurium morborum, & tollendi? ſuntne Canones, quos poſſidemus? Falline multum, oportuit, Hippocratem, Galenum, Duretum, qui talia, ne de nomine quidem, cognovere?

CANON XXXII.

Quid confert populares quaſdam, & vanas inſani Vulgi regulas ad vivendum ſalubriter tenere; atque ad amuſſim obſervare: Uti eſt aquam bibere magis, quàm vinum poſt ficus? Ficus nominare calidos, melones frigidos? Lactucam, & id generis olera aceto, & oleo condita in fine potiùs, quàm inter initia paſtus edere? Si immortalia Statices præcepta &c.

ANIMADVERSIO.

Confert ejuſmodi regulas tenere, ut diſcamus inſiſtere Statices inſtitutis. Cibus, inquit Sanctorius aph. 50. *non ut fluidus debet præmitti, ſed ut melioris ſucci.* Præterea ex *Galeno* de ſanit. tuend. lib. 4. cap. 3. *Non omnis cibus in cujuſvis animantis ventriculo concoquitur: ſed cognatio quædam ei, quod concoquit, cum eo quod concoquitur, eſſe debet. Quod igitur omninò alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, ut id naturæ ſuæ gratiam recipiat.* Contenditne id otioſitas Senum, an experientia? Jam verò quid ſi minùs gratus cùm jucundo offeratur? conſilioſè jucundus priùs admittitur, quia ſpiritus non opprimit, ſed recreat. Dolor, & vomitus expirationes a cute convertunt ad ventriculum: quid agas ſi

vinum poſt ficus iterum, atque tertiò in haſce te conjecere moleſtias? Si ova, pepones, piſces e Leontino lacu faciliùs, & ſine capitis noxa, inſequente aqua quàm vino, ſubiguntur? A frigidis timendum perſpirationi eſt; nequaquam a calidis intra temperantiam admiſſis: cur non quæras, cujus ingenii ſint ea, quibus veſcaris? Hæc non eò dico, quò ſentiam, quæ priùs demittuntur in ventriculum, priùs in duodenum progreſſura: ſed quò non repugnetis Naturæ dum refugit, paſſa malum a quibuſdam eduliis. dum delectatur in quibuſdam, experta voluptatem. Agunt vehementiùs in animales ſpiritus, quæ ventriculi tunicas noviſſimè ſatiant: conſtat a venenis antè, vel poſt cibos ſuſceptis: quare non ſine momento ad promptiorem operam ab opiatis obtinendam, ſolent Quamplures paullo ante cænam catapotia ex cynogloſſo præcipere. Quid poſtremò ſi talia non ſine ductu Hippocratis, cujus apud *Horat. Augenium* lib. 3. epiſt. medicinal. 3. ſunt hæc: *Mulſa poſt ptiſanæ ſorbitionem epota valdè replet, inflatque, & hypochondriorum viſceribus eſt inutilis: at ſi ante ſorbitiones bibatur, non ut ſuperpota lædit, ſed juvat?*

CANON XXXIII.

Æſtate ſudore madere, & auram frigidam captare, peſtis eſt: veniunt febres, catharri, laxitudines, diarrehææ, cryſipelata.... Qui nimiùm ardent æſtate, aut plenitudine humorum laborant, aut calido temperamento ſunt &c.

ANIMADVERSIO.

Poterant, aut quòd ad nauſeam repetita præteriri; aut Sanctorii verbis recitari. *Perſpirabile retentum, ut acre, Febres, & eryſipelata: ut copioſum, apoſtemata, deſtillationes, vel cacheſiam facit: aph. 51. de aer. & aquiſ. Aura jucunda cum exercitio violento ſæpè mortifera.* Ibidem 16. Nunquid præterea Baglivus? prorsùs: documentum ſcilicet, ut cognoſcatis, quod neſcire non poteſtis: Calidos eſſe, qui

calo-

calorem minùs tolerant: Conturbari, qui cibis nimiùm replentur exagitato ſpirituum ingenio. Sed eſt univerſim verus Sanctorius? Nequaquam: Qui redundante ſudore labuntur, indigent aura jucunda, quæ lentè adigat glandularum oſcula ad minorem hiatum.

CANON XXXIIII. idem eſt qui ſeptimus.

CANON XXXV.

Qui ſunt valetudinarii, ſanitate infelices, aſthmatici, & natura debiles æſtate beneficio copioſioris tranſpirationis ſalubriùs vivunt; hyeme veró vix incipiente, ſtatim ægrotant tranſpiratione cohibita. Hyeme ad præcavendum, preter ſobrietatem, tenuitatemque victus, purgationes mediocres per intervalla juvabant, æſtatiſque tranſpirationem compenſabant. Hac etiam de cauſa Scabies, morbique cutis quamplurimi circa ſolſtitia hyemis incipiunt, aut vigent.

ANIMADVERSIO.

Natura eſt princeps morborum medicatrix: quorum ergo natura meliùs habet æſtate, ii ſalubriùs vivunt, etiamſi debiles, ac valetudinarii ſint: & quorum meliùs hyeme, hyeme ſalubriùs: ut latiùs & cum experientia loquamur, & cum Hippocrate. Præterea cur dicendum cohibita, non autem, vix genita perſpiratione? obliquo Solis appulſu minor eſt hyeme humorum, quum in plantis, & mineralibus; tum in Belluis, & Hominibus exagitatio. Quid mirum ſi Aſthmaticis ægriùs pulmonem humores prætergrediantur? Quid quod evenire nequibit, quin exhalationum materia ſiſtatur extrinſecùs & intrò compingatur? De Scabie dictum a nobis eſt alio in quæſito: hic ſufficiat, negaſſe, quamcumque Scabiem naſci ob impeditam perſpirationem, & naſci ſub hyemali ſolſtitio.

D 2 CAN-

CANON XXXVI.

Si autumno vigeat apparatus calidorum, ſalinorum, & acrium humorum: deinde ſupervenit hyems frigida, & nimiùm aquilonaris: hyeme vel circa; vel vagabuntur morbi pectoris acuti, ſcabies, ophthalmiæ, febriculæ catharroſæ, ſimileſque; vel alii affectus citiùs, aut tardiùs; pro ut Æger complexione validus erit; aut debilis; magis minuſve ſobrius; & viſceris alicujus intemperie affectus, vel non.

ANIMADVERSIO.

Mirum quanta docet, & quàm occulta profert Canon! Morbi generantur pro cauſſarum ingenio, invaduntque partem fortunâ infractiorem! Sunt hæc ex iis, quæ in *Theatro Anatomico Romano, & ex Cathedra in Archiliceo diſputavit Primus*? An de quibus Plautus in Amphitr.
Strepitus, Crepitus, Sonitus, Tonitrus, *Fremitus, Fragor?*

CANON XXXVII.

Qui ſobriè non vivunt, cibiſque mali ſucci nimiùm utuntur; debitamque ſalutis curam quotidiè non adhibent: ac denique liberæ, & copioſæ tranſpirationis beneficium non obtinent ob cutim naturaliter nimis denſam, nec facilem ad ſudandum... Si morbis corripiantur, vel lethaliter ægrotant, vel chronicè. Imbibita namque &c.

ANIMADVERSIO.

Ad repetitam crambem accedit caro nimis denſa; ſuppeditatque lethalis, aut diuturni morbi prognoſticum. Sed cur hoc non potiùs ab alvo nimis, & naturaliter adſtricta repetendum? Qui cibis mali ſucci, & minùs ſobriè utuntur; quamquam laxiſſimam habent cutim, vel non perſpirabunt, vel irrito conatu in ſudorem exſolventur. Unde quod in tar-

farcit primas vias, hæretque tenaciùs, pariet morbos ſudationibus abigendos? Si morbi fomes foret in ſecundis, aut ultimis viis; locum facerem aliquem denſitati cutis. Ab cibi tamen nequioris intemperato uſu primos meandros invadi, jure ſuſpicamur. Tandem quid illud: *Ob cutim naturaliter nimis denſam, nec facilem ad ſudandum?* Eritne aliquando cutis ejuſmodi, & ſudori facilis? Non opinor. Si hæc naturaliter denſa eſt, natura certior de denſitate, inimicum per cutim exturbare non contendet. Sed quid ſi monitum ab Hippocrate deſumptum eſt, legitur ſub finem Canonum apud Baglivum; & turpatum eſt additione ciborum? En verba Senis: *Quibus corpus malè tranſpirat, ii priuſquam ægrotent, robuſtiores; quum veró in morbos inciderint, difficiliùs reſtituuntur,*

CANON XXXVIII.

Coctio humorum in laxitate debita ſolidorum, & liquidorum conſiſtit: Cruditas veró in contractione, ac veluti confuſione, ſtrangulationeque eorumdem. Teſtis horum &c.

ANIMADVERSIO.

Quis dare poterit, lenteſcentes morborum cauſas ad coctionem perduci ſolidórum laxitate? Quis cruditatem humorum in contractione, & ſtrangulatione? Addendum fuit quod liquidis reſponderet: Verò ad coctionem explicandam numerat & ſolida & liquida: Ad cruditatem; ſolummodò ſolida.

CANON XXXIX.

Quantum exardeo, quum video, Medicos indicationes omnes ad corrigendam in morbis, dulcificandamq: ut ajunt, peccantem materiam dirigere; at de correcto humore foras eliminando, nunquam cogitare: Quo præcepto ſpreto, aut neglecto; morbi omnes peſſima veniunt ſucceſſione; quos poſt lon-

longum uſum alKalicorum, teſtaceorumque nec non Chinæ Chinæ cui credulum Medicorum vulgus nimiùm cônfidit: non adhibitis per intervalla purgationibus, culpa methodi, non naturæ oriri videmus.

ANIMADVERSIO.

Inculcat correctos teſtaceis, & quinquina humores eſſe dejiciendos ex intervallo purgatoriis. Fortaſsè approbo; ſed ne documentum in Canonum numerum adſcribatis, oppono Sydenham, cujus auctoritate liberetur ab hæreſi medica, ſiquis contra ſenſerit. *Curatio, quum huic remedio innitatur, purgatione nec eget, nec eamdem planè fert. Ita potenter dictus cortex ſine ope catharticorum non ſolùm paroſiſmis, ſed & dyſcraſiæ, quam corpori iidem inflixerant, ſubvenit. Vitandæ itaque ante omnia evacuationes qualeſcumque quum vel blandiſſima catharſis, quinimmò enema e lacte ſaccharato, in morbi diſcrimen certiſſimè, fortè in morbum ipſum, denuò Ægrum conjiciet.* Nec aliò ſpectat Mortonus, ubi cap. 8. de cort. peruv. *Neque*, ait, *dumtaxat a Cathartico febrem cortice fugatam revocari conſpicimus: verùm ſæpè numero a minimo frigore percepto, vel ultrò abſque cauſa evidenti cum magno Medici, & Medicinæ opprobrio, niſi tempeſtiva, ac frequenti corticis repetitione ei obviam eatur.*

CANON XXXX.

In liquidis animati corporis manifeſtè obſervantur mechanice chimica digeſtionum, coctionum &c. In ſolidis mechanice cunei, vectis, funependuli, projectionum, &c. In utriſque ſimul junctis regulæ æquilibrii, proportionis, centri gravitatis &c. Utiliùs quàm per vulgarium figmenta de acido, & alkali &c.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Quambellè accommodatur, ait, non quàm neceſſariò: Canon igitur ad conſilia referatur, non ad præcepta, quæ ſub mortali obligent. Recolite, quæ in ſuperiore quæſito. Hic repeto, quod excludit acidum, & alKali: deinde amplectitur in Canone 43.

CANON XXXXI.

De Mechanice Solidorum corporis animati diſputavit Primus: Parum ad rem: Non odi Perſonam, ſed falſam doctrinam: Relegetur igitur Canon ad eos, qui ſunt pro tuenda fama, quia nihil habet de Medicina.

CANON XXXXII.

Primarum digeſtionum excrementa per alvum ducuntur: Secundarum per urinam; Vltimarum per inſenſibilem tranſpirationem. Inter has admirabilis eſt proportio: dum altera ſupprimitur, vel minuitur, copioſiori fluxu alterius debet compenſari &c.

ANIMADVERSIO.

Contenti ſitis Sanctorio: *Non poſſunt ſtare ſimul multa perſpiratio, & multa, ſolitoque major ſenſibilis evacuatio.* Sed cur non Hippocrate, ubi habet: *Mictio noctu plurima parvam ſignificat alvi dejectionem?* Hac ſententia tanquam exemplo propoſita, attingetis una evacuatione redundante ſolere alteram impediri. Sciviſtis nunc primùm admirabiles haſce inter excrementa proportiones? Gratulor: & hortor ut reſtringatis. *Si homo multum comedat, & bibat; multum Vrinæ educet, & multum quoque dejiciet*; inquit Fonſeca in aphor. Et Tozzius *Non videtur omnino verum, ut mictio noctu plurima facta, modicam ſignificet dejectionem.* Quot febricitantes vidimus, alvum ſimul exonerantes uberrimè, & ſudantes!

CAN-

CANON XXXXIII.

Eſt contra Vulgus, ad quod judicium non pertinet. Tandem habet quod *ex fonte acidi, & alkali omnium origo malignarum eſt.* O conſtantis Viri conſtantiſſima docendi methodus!

CANON XXXXIIII.

Quid juvat eruditionis pompa? Quid elegantia ſermonis? Si perſpectam non habet Staticen? &c.

ANIMADVERSIO.

Quid juvat ſella, qua nunquam Medici uſi ſunt? Eſtne Canon de Medicina Solidorum, an contra Eruditos? Sed mandare quemquam literis cogitationes ſuas, & obſervationes, impolito ſtylo, inconſtanti doctrina, ſenili, & immemori garrulitate, nonne eſt abuti aliena patientia? Et cur dicendum: Si perſpectam non habet Staticen Sanctorii, non autem Gymnaſticam, aut Mercurialis, aut Cagnati: vel potiùs Galeni *Medicinalem Artem*, & doctrinam *de ſanitate tuenda*?

CANON XXXXV.

Eſt explicatio laudabilior coctionis, & cruditatis, appoſitæ in ſuperiore 34. & in 25. Piget repetere, & exſcribere.

CANON XXXXVI.

Si Vomitus impedit perſpirationem, quantò magis idem efficiet oſcillatio vehemens, vel inflammatoria, vel dolorifica aliorum viſcerum cum febre, vel ſine ea, ad quas oſcillationes non ſuccedant evacuationes materiæ, ut in vomitu? Ars divertere poteſt evacuando materiam per Veſicantia, Cauteria, Sinapiſmos, Scarificationes, & ſtimulos omnis generis &c.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Obverſatur mihi quàm triſtiſſima recordatio infeliciſſimi exitus, quem enarrans Baglivus de abus: veſ: cap. 2. §. 2. *Memini*, ait, *quemdam torminibus ſpaſmodicis infimi ventris cum febre moleſtè laborantem poſt adhibità in Xenodochio Veſicantia excreviſſe per ſeceſſum, inſignem copiam ſanguinis rubicundiſſimi, & pauló poſt periiſſe.* Obverſatur, quod accepi canone 38. ad febrem ardentem, & crudelem Colicam: *Si Solida in his ad laxitatem non venerint; & liquida ad lenitatem, numquam benè ſpera.* Siccine ſub inflammatorio, dolorifico Viſcerum affectu, & ſub materie ita ſicca, ut intentare ſcirrhum poſſit, comparatur laxitas! Obverſatur illud ex lib. 1. ubi de Phrenitide: *Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, & indiciis magnæ viſcerum inflammationis, ſi applicentur Veſicantia, omnes ferè in pejus ruunt, & magna ex parte moriuntur Convulſi.* Quamobrem laudare non debeo materiæ revocationem, quæ ad cutim fiat per irritantia. Hæc augent fibrarum tremores, humorum acrimoniam, periculum ſtrangulationis; ideo majorem faciunt metum inflammationis. Advocantur ſanè liquida, ubi ſtimulus eſt; verùm ſi fibræ non ſunt ductiles; nec ulla patet via; non admittuntur, ut foras amandentur; ſed repelluntur, & Cantharidibus quidem ſtimulo non ſimplici, ad renes. Hinc jure non aſſequor, cur hic conſentiat Baglivus Galenicis, quod Ars *evacuando* divertere poteſt, materiam per veſicantia. Et cap. 4. §. 2. de abus: ves: áſſerat. *Quidquid per ea evacuatur exiguum eſt; neque ad minuendam peccantem materiam ſufficiens.* Et quoniam ſuggerente memoria ratiocinamur, repeto, Canonem hunc repugnare medicatui Bagliviano, ubi ſperare jubet expectorationem in Pulmonicis à Veſicantibus. Num ſtimulus & urgebit ad oſcillationem dolorificam, ut fibræ ſputum exprimant; & aliò vocabit pro Naturæ neceſſitate?

Primus eamdem cantilenam canit; *Dolores ſcilicet, & Diarrhæas inhibere perſpirationem.* Alter hortatur, ut diſcernatis, *ſit nè morbus à Solidis in liquida*, an contrà. Addit, quod mirum eſt, perpetuam ineundam eſſe cum Ruſticis terram arantibus conſuetudinem, *ad reſpirandum nobile nitrum, e Telluris Magnæ Matris viſceribus vomere ruptis, recenter exhalans.* Sed Noſtratium neminem effugerit, ad conſtantiſſimam apud nos experientiam ſcripſiſſe Portium, ubi de milit. in caſtr. ſanit. tuenda cap. 3. hæc. *Terra differt a terra, & non ubique in terræ viſceribus eadem, ac ſimilia ſunt: ac proinde veluti ſi plures pyxides aliud, atque aliud continentes aperirentur;* pro *ut in uno, vel alio loco terra effoditur; aliud, atque aliud exhalat in cuniculi cavitatem; quod fecit aerem illius loci, ut plurimum inſalubrem, qui non raró ne flammam quidem, aut ignem nutrire, aut recreare poſſit. Similiter accidit ubicumque in aperto aere terra de recenti effoſſa eſt; niſi quod quum locus concluſus minimè ſit, & aër magis perfletur; ac quum corpora e terra emanantia in amplius ſpatium recipiantur, neceſſarió ea, quæ juvare, vel nocere poſſunt, rariora erunt. Ut plurimum, hic quoque aer noxius eſt, & morbifer ſaltem, ſi non mortifer.* Tertius demum Canon breviùs, & ſuccoſiùs exponitur à Sanctorio 7. de pond. hiſ. *Quantitas perſpirationis inſenſibilis aliquam varietatem patitur pro varietate Naturæ, Regionis, Temporis, Ætatis, Morborum, Ciborum, & aliarum rerum non naturalium.*

CANON L.

Quantum doleo, Magne Hippocrates, tuque Conditor artis inclyte Æſculapi, quum video Medicos ſtatim ac obſervant mulierculas menſtruorum corripi ſupreſſione, & inde ventre intumeſcere ac ad molam ventoſam uteri, ſive Hydropem

pem ſiccum ejuſdem, ſivè vulgó falſam graviditatem pervenire: ſtatim inſtituta pluries malè ſana, & à nobis minùs probata ſanguinis miſſione; eiſdem diu præſcribere amara, calida, aperientia, myrrhata, caſtoreata, & alia id generis, quæ ſanguinis menſtruum fluxum promoveant: Donec tandem augeſcente magis, quàm declinante malo, res deſinat in cancros, ſcirrhos, aliaque difficilia uteri mala. Doleo quidem, nam hæc adhibent indiſcriminatim in omnibus mulierculis, & omnibus penè ipſarum morbis nullo antè facto examine, an iracunda ſit mulier, an placidis prædita moribus, an arida ſiccaque, an veró mollis, & ſucciplena. Quinam ſit elater in ſolidis; quæ acrimonia in liquidis; quod æquilibrium in utriſque: quo facto examine &c.

ANIMADVERSIO.

Dolendum ſané, ſiquando Medicus inconſideratè incidat in uſum phlebetomiæ, ut vincat impedimenta naturalium operationum parta, & humoribus acribus, & areſcente fibra. Sed vobis ab hoc ampliſſimo loco non ſemel ſuppeditatum ſcio illud Williſii: *Si diſcraſia ſanguinis ejuſmodi fuerit, ut principiis nobilioribus, ſcilicet ſpiritu, ſale volatili, ac ſulphure depreſſis, vel abſumptis, particulæ aquoſæ, vel terreſtres præpolleant, ſanguis haudquaquam emitti, ſed tamquam vitæ Theſaurus præſervari debet.* Propterea non eſt, cur canonem inculcare connitar. Eſt verò quod monitos velim, ut nimirum ipſi a vobis non diſſentiatis. Hydropi ſicco Mulierum poſt reſiſtentia menſtrua præ contorſione fibrarum, ſuccorumque acrimonia Phlebetomiam opponere, maleſanum conſilium eſt: An alia ineunda curatio, ſi Viros ſiccus hydrops invaſerit? nequaquam. Quid ſi Baglivus de hydr. ſic. lib. 1. pag. 52. *fibras* inquiat, *exiccat, criſpat, convellit materia acris, ſalina, piperina, mordicans, hinc ſicciditas, & diſtentio; Ventoſitatem flatuoſam ſolvit phlebetomia?* In appendice ad pleuritidem propé finem: *A ſanguinis miſſione ſummopere læduntur, quando ea impe-*

 ratur

ratur in pleuritide ex fluxione ſalinoacri rodente: Ubi enim ſal regnat, ibi ſtatim regnat & inopia ſpirituum, ac boni ſucci: ſpiritus enim à dominante ſale ſiderantur, opprimuntur, extinguntur. Cur amabò Vos, ſolertiſſimi veritatis indagatores, cur *in Colica convulſiva pertinaci, & ſpaſmodicis doloribus ventris ab acri, & erodente materia productis, præſertim ſi aderit ſitis, atque ariditas, & calor univerſalis; nihil præſtantiùs, quàm ſecare venam brachii:* uti loquitur ubi de colica? Quid ſiquis pro demandato memoriæ præcepto, univerſim & nullo ſiccitatis, aut lentoris oblato diſcrimine chalybem & rhabarbarum præcipiat? *duo maxima remedia,* inquit tantus Doctor 1. prax. cap. 13. num. 9. *in chronicis obſtructionum morbis ſunt, chalybs, & rhabarbarum; cui ſuperbibe brodium amarum, & diureticum?* Hæc ſanè adverſus areſcentes, diſtortaſque fibras, humores acres, & ſiccos non commendamus. Verùm mirari deſinite, ſi non reſtrictum documentnm eſt, ſcribit ſine methodo: En ipſummet teſtem cap. 9. lib. 1. prax. *Aphoriſmi hi ſive ſententiæ contractæ, quum ſint radices veræ, non autem trunci aridi, & adulterini hiſtoriæ morborum; recludunt pariter indicationes veras in curationibus illorum hauriendas, quod traditio methodica afferre vix poterit.* En conſilium iterum apertum, lib. 2. §. 3. n. 7. *In plurimis febribus diuturnis, & chronicis nonnullis morbis magnam afferunt utilitatem medicamenta quædam auſteroamara de genere ferè adſtringentium, utpote ſunt Chinachina, Tormentilla, Radix Pentaphyli, Alumen crudum, Chalybeata, Cortex fraxini, medicamenta Vitriolicomartialia, aliaque hujus generis, quæ adſtringendo operantur: Quæ quum vera ſint, argui jure poterit, antedictas febres ab elanguido ac penè laxato partium fluidarum, ſolidarumque tono; non veró a decantata* (notate) *viſcerum pendere obſtructione. Hinc medicamenta ex genere ſtypticorum, amaricantium, & aliquantiſper ſpirituoſorum roborando, ac ut ita dicam ſtrictiores reddendo ſolidas, fluidaſque* (notate) *partes, eaſdem optimè diſponunt.* Determinat quidem, quando ſunt offerenda; ſed ignoſcite faſſo, ſollicitor,

nul-

nullum in hoc eſſe putare judicium: *Decantata* viſcerum obſtructio, cui talia ſuccurrant, eſtne aliud quàm laxatus partium ſolidarum tonus, aut ſuo, aut humorum crimine, ut ibi hæreat, malumque ingenium induat, quidquid, ubi ad ſanguinem traductum, febrem excitaturum eſt? Si volet a Sanctorio non diſcedere, poterit reſpondere: *Humores differunt ab obſtructione ſicuti differunt nummi ab ipſa crumena; non enim valet: nummi diſtendunt crumenam, ergo nummi ſunt ipſa diſtentio*: quæſt: 10. in prim. fen pag. 57. Sed tacere ſatiús arbitror, quàm in iſthæc excurrere: meherclé obſtructio vox eſt, quæ fibris ſimul, & humoribus malè habentibus attribuitur. Redduntur ſtrictiores partes ſolidæ quòd aſſurgere compelluntur ad conatus magis laudabiles: ſed hærentia liquida cur dicenda conſtringi; non autem atteri, & in circuitum abigi? Putandane ſemper, & omnia deſtituta compagibus; nulla unquam, ita cohærentia, ut diſſolutionem efflagitent? Quàm difficile eſt ſibimet conſtare, & incondita promere! Nonne *Canon*, uti e Sanctorio in prim. fen quæſt. 5. *eſt regula revera veluti Idea, & Policleti Statua, a qua non licet recedere; & a qua omnes regulæ, & omnia præcepta dependent?* Nonne *Ars Medica*, pro ejuſdem conſilio ibid. quæſt. 6. *eſt conjecturalis ratione quantitatis morborum, remediorum, virtutis: ratione proprietatis naturæ: & ratione conditionum individuantium?* Ecquis non fateatur, quàm arduum non modò, ſed pænè impoſſibile definire Canones?

Reſtat inquirendum, an Baglivus ſit Duretianus: fiet id collatis quibuſdam factitandæ medicinæ monumentis; porrò quantum ad ordinem, qualitateſque ſcribendi, atque docendi, quàmlongiſſimè, quàm certiſſimè abeſt. Cito librum Baglivi editum Venetiis 1721. apud Bonifacium Vizzeri. Et Dureti placita, Hollerii operibus copulata, e miſſaque Coloniæ Allobrogum 1623. per Jacobum Stoer; in Coacas enim Prænotiones omnis eſt in explanatione prognoſticorum: Contendo ab ungue diſcendum Leonem; & offero pauciſſimis quæ ſigna, morboſas cauſſas, medendi methodum attingant.

PRO

Si cum urinis ſubjugalibus, ideſt craſſis & turbidis, Vigiliæ ſæviant, dolores capitis, ariditas linguæ, & ardores viſcerum, prognoſticato brevi delirium. Bagliv.

Quotieſcumque in Phrenitide perennis eſt materiæ morbificæ generatio, perenniſque ejus ad caput affluxus, quod dejectiones alvi, & Urinæ tincturæównioſæ expertes, indicant, nulla jam ſpes eſt ſalutis ſperabilis. Duret. in adnotat.

Quid Nos? Ex Hippocrate apud Bellinum *In iis qui præter rationem perturbantur, & Vigiliis torquentur, Urinæ decolores Phrenitidem ſignificant:* Et 4. aphor. 72. *Quibus Urinæ albæ & perſpicuæ malæ, præſertim in phreniticis.* Verò Urinis non conſideratis prædici delirium, opinor, ſi cum ardoribus viſcerum, lingua arida, capitis dolore vigiliæ ſæviant. Sed cur craſſæ & turbidæ illud portendant, non facilè intelligam: non quòd tales reputandi ſunt humores, quales foràs excernuntur; nam craſſities etiam turbatorum non multum pertinet ad vigilias excitandas: non quòd pejores eſſent motus interni, ſi materiæ paululum non ſubigeretur, & amandaretur: non quòd redundant craſſæ particulæ, quia potius Meningum elaſticitate detruderentur ad viſcera; aut ſua mole hærerent, ubi minor virtus in fibris. Verùm hæc indicta velim. Duretus non diſcedit ab Hippocrate, utrum diſcedat Baglivus, veſtrum eſto decernere.

Quum obſervaverim pluries, alvi fluxum ſolviſſe delirium; ideo natura docente, proficuum non ſemel expertus ſum Pulverem Cornachini, ſuperbibendo eidem larga diluentia ex decocto hordei, Cornucerv. limati, Salis prunellæ, aliiſque dulcificantibus. Baligv.

Imperandæ etiam Purgationes leves ex Caſſia, decocto tamarindorum pinguium, endiviæ, ſcariolæ, in quo diſſolvatur Catholicum, vel caſſia ipſa cum ſirupo violato; Duret. in enarrat. Mirum! Pulvis Cornachini reſpondet pituitæ, languidiorique fibræ; uti docemur ubi de Apoplexia, & opponitur humoribus, qui indigent dulcificantibus; ſolidis, quæ

laxan-

laxantibus! Purgatorium vehemens dicetur a Dureti conſilio propinatum; aut judicabitur optimum loco tamarindorum? Quod pugnat contra pituitam, non opponendum adverſus bilim. Audite de Tamarindorum pulpa Ettmullerum: *Blando acore fervorem, & orgaſmum bilis reprimit; agitationes maſſæ ſanguineæ inhibet; nimiam acrimoniam humorum temperat, horumque fervorem, & ſitim compeſcit: nimios ardores, & incaleſcentias corporis ſapore acidulo ſuavi inhibeo propter aliquam nitroſitatem; & cruditates nidoroſas abſtergit blandè, & laxat.* Sequiturne Duretum, qui poſthabitis Tamarindis offert pulverem Cornachini Phreniticis.?

Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, & indiciis magnæ viſcerum inflammationis ſi applicentur veſicantia, omnes ferè in pejus ruunt, & magna ex parte moriuntur Convulſi. Baglivus.

Profuerit vincula dolorifica, frictiones aſperas uperne deorſum præſcribere. Duret. in enarrat.

Quis non intelligat non eòdem ſpectare hæc duo præcepta? Sed me judice nec veſicantia, nec frictiones aſperæ locum merentur, quum humores componendi, non exagitandi ſint.

PRO APOPLEXIA.

Apoplexiam diſtinguere oportet in Sanguineam, & Pituitoſam. Arcanum in ſanguineis eſt Phlebetomia. In Pituitoſis emeticum, aut purgans vehemens. Cæteris præfero Pulver. Cornachini: Et infuſum croci metallorum. Baglivus.

Apoplexiæ plures ſunt cauſæ fit enim aliquando a cerebri phlegmone: nonnunquam a glutinoſa pituita: Ab effuſo in cerebrum ſanguine: Interceptione ſpiritus vitalis, qui per carotidum arteriarum, & venarum jugularium obſtructionem aditu ad cerebrum prohibetur. Duret. in adnotat.

Credatur ab uno quodam verum & ſanctum, duas omnino eſſe Apoplexiæ cauſſas, Plenitatem ſanguinis, & nimiam Pituitam: amabit perditiſſimè duo, Purgatorium nempè,

pè vel Emeticum; aut Phlebetomiam: de aliis, quæ ſatis multæ ſunt morbi, cauſſis non commonefactus; auſu prorſus temerario dimicabit. Medicatus cauſſam debet vincere: cum ſilentio prætereuntur, quot enumerat Duretus? Quid ſi effuſus in cerebrum ſanguis eſt: Si ruptum in præcordiis aneuriſma: Si halitu veluti narcotico peſſumdati ſpiritus animales: ſi polypo in pulmonibus interruptus liquidorum circuitus? profectò nec phlebetomia; nec emeticum, aut catharticum commendandum. Quid ſi Meninges, quia cooperiunt extima tunica nervos quoſcumque, contorquebuntur, vimque facient in tubulos ſinu comprehenſos? *Non a laxitate meningum, & fibrarum cerebri oriri apoplexiam tantummodo judicandum eſt*, inquit Mazinus part. 2. n. 15. *verùm etiam ab ariditate, & convulſiva criſpatura earumdem facillimè orituram eſſe, credimus.* Si villi cordis contrahuntur tam validè; ac tamdiù in contractione perſiſtunt, ut prohibeatur liquidorum circuitus, enaſcetur apoplexia, uti explicat Bellinus: Et Lanciſius a convellente acredine habet, lympham extruſam vaſis in cavitates: *frequens*, ait, *erroris cauſa apud minùs in arte peritos, quod lympham in ſinubus cerebri invenientes, illam apoplexiæ cauſſam, quum plerumque fuerit dumtaxat effectus, accuſare ſolent.* Adverſùs hance liquidorum qualitatem quis vel emetico, purgatoriove graviore contendet; vel ſanguinis eductione? Sitne acritas iſtiuſmodi fœcundior Apoplexiæ, Paraliſiſque genetrix, non definiam. Novi *Pituitam*, a Martiano dici, *unicam tantummodo, & de raro contingentem cauſſam*: Accipio ex Valliſnerio della bev. Cald. e fred. num. 34. *Che l' Apopleſſia o Parapleſſia per lo più non è altro, che una fortiſſima repentina convulſione univerſale, o particolare delle parti, cioè dell' increſparſi, o del ritirarſi verſo il ſuo principio con empito incredibile le meningi.* Sed qui doceret, Convulſionem & Apoplexiam ita ſimiliter fieri, ut una eadem methodo ſimus debellaturi, legi neminem. Ecquis profeſſus univerſi corporis convulſionem non conſtantem, ubi antehac obſervavit, ſanguinem nulla portione aquea copulatum, formido-

loſi

loſi Patrem eryſipelatis in pectore, & ſputi ſpecie conniten-tem vaſis evadere; ecquis, inquam, exclamet *ut Stentora vincere poſſit, vel potiùs quantum Gradivus Homericus*, quia Veſicantia in uſum non trahuntur? profectò nemo, niſi qui Naturam contemplari dedignatur, & aliena præcepta ſuâ unius ſtatera ſuſpendit indocilis. Adoleſcentes mei, ne fallamini, Valliſnerium Vos ipſi conſulite: aſſequemini feliciſſimè, nunquam voluiſſe, Convulſionem eamdem eſſe, quæ Paralyſis: & de Apoplexia, quam genuit ſalium acritudo, audietis hæc loquentem: *Non sò per qual fatale deſtino molti ancor curano, cacciando in corpo a miſeri pazienti e Spiriti, e Quinteſſenze, e Sali volatili, ed Eliſſiri, e Decotti, e Pilole capitali, e Polveri cefaliche, e Purganti attiviſſimi e Sciroppi d' erbe aromatiche da certi Vecchioni raccolte, e beveroni oſtichiſſimi, e nauſeoſi, con unzioni ed empiaſtri, e cerotti, e ſimili medicamenti caldiſſimi, con intenzione di dar moto a quelle fredde ſtagnanti materie, e di eccitare i torpidi, e gelati ſpiriti, acciocchè per le nervoſe corde ſcorrendo, tornino a rinvigorire le ſtupefatte ed immobili parti: dal che ne ſiegue che ſempre più miſeramente precipitino, e periſcano, o attratti e ſtupidi ſino al Sepolcro ne reſtino.* Mittamus iſthæc, quia ſat ad iſtitutum noſtrum ſcire: Quàm difficile eſt mali cauſſam aſſequi; tam circumpectum ſit auxilia præcipere: non enim ſemper rectè fit, quando alterutrum a Baglivo propoſitum ſit.

Clyſteres Apoplecticis exigua quantitate injiciantur, ita ut & retineri, & diutiùs manere poſſint in inteſtinis. Bagliv.

Clyſter acris: Initio quidem minus, ut primum vacuentur fæces; nec antè materia morbifica attrahatur, quàm vacuatæ fuerint; Duret. in enarrat.

Si diutiùs manebunt Clyſteres, non antè fœces extrahentur, quàm accurret morbifica materia. Non eſt igitur Dureti, & Baglivi unum conſilium. Adoleſcentes mei, ſi ſphinter ani reſolutus etiam non ſit, ut nihil cohibeat; ſi poſitus Ægrotantis, cujus reſpirationi ſedulò proſpiciendum, admittat: utiminor Clyſteribus, & copia, & qualitate variis,

 riis,

riis, pro cauſſarum morbificarum varietate. Si laxanda fibra, fiant ex mollientibus, & parcè, ut diutiùs retineantur: Si excitandi ſpiritus, tremoreſque fibrarum ſunt; ex acerrimis, & largiſſimè. *Quæ fieri poteſt majori induſtria curandum*, ait Bellinus de ſtimulis, & loquitur de pilorum evulſione, *ut evulſio fiat toto impetu in puncto temporis, ut major, & validior fiat dimotio: & ab iis partibus, in quibus naturaliter ſenſus acrior.* Cur tardare, quoad materia partem obruat, pedem figat, aut meninguin virtute compellatur in loca nobiliora? Utinam potens adeo ſit medicamentum, ut fæces educat ſimul,& materiam morbificam uberrimè pertrahat!

Quando Apoplexiæ erant graviſſimæ hyemali tempore, & jam confirmatæ, Veſicantia non admodum conferebant: immò omnes ferè tales Ægroti moriebantur. Baglivus.

Hominem agitato, concutito, fricato dura frictione, vinculis quoque dolorificis, ut concreti humores fundantur, obſtructa liberentur; naturæ vis excitetur: & ferro candenti excitetur ſepulta vis cerebri. Duret. in enarrat.

Siquid ſperamus a ferro candente, poſſumus & a veſicantibus. Sed quò Baglivi monitum? Ni velimus pro conſtitutione peculiari, ut Cantharides etiam agant adverſus qualitates humorum, nunquam laudabuntur Veſicantia, quæ hyemali apoplexiæ nocent, uti a ſucceſſibus. Si peculiare fuit; cur univerſim non commendantur, ſed intra certos quoſdam limites?

PRO DYSENTERIA.

Inter Dyſenterica laudamus rhabarbarum toſtum. Bagliv.

Torrefactio rhabarbari mihi non probatur, quod ut adſtrictionis eſt particeps; ita acrimoniam acquirit; & ut cinis quercus ſit acrius, ac proindè abradendo moleſtum eſt. Duretus in adnotat.

Si ab uſu adſtringentium inflatio ventris, vel major in egerendo difficultas, & labor ſuperveniat; rhabarbaro frequentiùs utendum, interpoſita tamen mixtura aliqua anodina. Baglivus.

Aſ-

Afflictis non danda eſt afflictio: & graviter peccant, qui ſine levatione doloris, ulcere non manſuefacto, nec mitificata materia, cathartica Dyſentericis exhibent: ulcus enim medendo ægreſcit. Duretus in enarrat.

Quis neget me Baglivianum, ſi hoc eſt, Baglivum eſſe Duretianum? Sed eſte quantum ad uſum rhabarbari Duretiani, quia & rationis ſectatores, & frequentioris laudabilis ſucceſſus: Relinquite Duretum, ubi conſtante experientia relinquitur: Et quia prudentiſſimum eſt, Blateronem relinquere; Baglivum a Dureto & Sanctorio recedentem relinquite: & pro canone habete, quod Celſus in proœmio: *Vix ulla perpetua præcepta Medicinalis Ars recipit: eſt enim Ars conjecturalis; neque reſpondet ei plerumque non ſolùm conjectura, ſed etiam experientia.*

IN SUMMA.

CAnones Baglivi de Medicina Solidorum, uno, alterove excepto, veritatem ab ejus Apolline prolatam non habent: nec habent, quod fronte promittunt: quapropter Artis hujuſce Studioſum nec expoliunt; nec formant in habitum, quem deſiderat.

QUÆSITUM II.

Quid de Philtro, Faſcino, Incantatione? Suntne Lemures, & Sagæ, in quas ſubdola Dæmonum obſervatio, & obedientia? Licetne petere, ut Malefica maleficium ſolvat?

QUidam, ut acerrimo, & minimè trepido credi poſſint ingenio, quæcumque de poteſtate Dæmoniorum, inito cum Hominibus fœdere, contubernali familiaritate, omnium Gentium firmata conſenſu, & a primis conditi Mundi temporibus habet vetuſtiſſima opinio, relegant ad nimiam Muliercularum credulitatem, ad vana Poetarum terriculamenta, concinuntque cum Ovidio 15. Metam.

Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem Vatum, falſique pericula Mundi?

Non equidem ille ſum, qui pernegem, eò futilitatis adductum eſſe negotium, ut verba inter ſingula maleficium ructent Creduli: ſed horum apertus, ſimplex, & ad quaſcumque grandiores fabulas accommodatus Animus, conſtantiores, magiſque ſedulos a conquirenda, inculcandaque veritate non diſtinuerit. Patiamini, quæſo, ut in nonnulla evager, quæ ab longiſſimis tracta principiis videbuntur: viam profectò aperient, ut, ad quam properamus metam, expeditiſſimè perveniamus.

II. Eſſe Dæmones, Spiritus, nimirum, quos perduellionis reos a paradiſo, & amicitia ſua deturbavit Summus creaturarum omnium Conditor Deus, in dubium non perduxeritis, ſi orthodoxam religionem ſartam tectam ſer-

ſervare, faterique deliberaſtis. Nec minùs certum exiſtimo, non cunctos Infernis concludi, *omnium enim Doctorum opinio eſt*, inquit S. Hieronymus apud Calmet, *quòd Aer iſte, qui Cælum, & Terram medius dividens, Inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus*. Ignene torqueantur jam uſque a caſu, an poſtremam Univerſi excidionem expectent ad eluendum ejuſmodi tormento ſcelus; fide ſanctum non invenitur. Recenſet Hermenier ex Fulgentio, Gregorio, Bernardo, Hieronymo, Epiphanio, Irenæo, Juſtino prolixa teſtimonia; additque: *Igitur communis ferè omnium Patrum doctrina fuit, Dæmones nondum igni, extremoque ſupplicio traditos*. Ibunt enim in ignem æternum, qui paratus eſt, prolata Judicis poſtrema, & cunctis manifeſta ſententia. Verùm Scholaſticorum ſenſus cum Auguſtino, & Angelico determinat, Dæmones non minùs, quàm Reproborum Animas, ſtatim a lapſu per ignem cruciari: ſicut Angeli, & Beatorum Spiritus omnibus iis delectantur, quibus erunt in totam æternitatem delectaturi. *Vel in aere*, inquit Venerabilis Beda, *volitent, vel in terris, aut ſub Terris, ſuarum ſecum ferunt ſemper tormenta flammarum, inſtar febricitantis*: quare ex Calmet locum *hæc ſententia hodiè in Scholis obtinet; quamquam Doctiſſimi aliqui Theologi defendunt, contrariam opinionem veterum Patrum conſenſu aſſertam, nullius erroris nota damnari*.

III. Ad rem eſt, improbos ejuſcemodi Spiritus obtinuiſſe, ut ſibi in ſuppoſitis Idolis fumarent altaria, fides haberetur, quia Sibyllas obſederunt, ac per eas incondita reſpondère amorem mererentur, quia nomine Genii, cuſtodes, & veluti pedagogi pro concreditis Hominibus decertaverunt. Oracula quis neſciat? Novimus ex Cicerone, quòd Græcia nullam Coloniam miſit in Ætoliam, Joniam, Aſiam, Siciliam, Italiam ſine Pythio, aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo. Siquis plura deſiderat, ſe convertat ad vetuſtiorum Regum ſuſceptas expeditiones; aut Idololatriæ conquirat originem; & firmiſſimum dabit,

Dia-

Diabolum conatum fuiſſe imitari veram prophetiam, dando petentibus reſponſa vel ex antris, vel ex Hominibus. ut loquitur Del Rio quæſt. 6. pag. 434.

IV. De Sibyllis admodúm pauca ſuppeditabo, quum neminem lateat, fuiſſe Virgines fatidicas, quæ, ſubeunte pectus numine, ſenſibus deſtitutæ eloquebantur. A veritate nunquam excidiſſe, cœleſtis prophetiæ dono locupletatas defendat, quicumque amat. Reportet indicatum adventum Chriſti Domini, Mariam Virginem, & ſimilia: immo Virgilium evulget tanti vaticinii non ignarum, quod cecinerit:

Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.
Jam redit & virgo, redeunt ſaturnia ſæcla.

Addam cum S. Hieronymo Epiſt. 2. lib. 2. Patrem Æternum loquentem ad Filium, præmonſtratum vocibus,

Nate meæ vires, mea magna potentia Solus.

Et poſt verba Salvatoris in Cruce:

Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat.

Et cum eodem concludam: (*Puerilia ſunt hæc, & Circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores, immo ut cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias:*) Eruat ab antiquioribus Patribus multum auctoritatis iis attributum, ut Ethnici revincerentur; quare non immeritò apud univerſam Eccleſiam cantatur;

Dies iræ dies illa
Solvet ſæculum in favilla
Teſte David cum Sibylla.

Me judice reputetis, licet, verum aliquando pronunciatum a Diabolo, atque illo uſos Patres, ut Ethnicos ſuo ipſorum gladio confoderent. *Spiritus mundi hic eſt*, ſunt verba Sancti Ambroſii, *per quem arripiuntur Fanatici; hic eſt, qui per Sibyllam locutus eſt.* Sed cur multa? Per ſacras literas edocemur, fuiſſe Feminas ab infeſto hoſpite Dæmonio oppreſſas. En verba: *Vidit Saul contra Philiſtim, & timuit, & expavit cor ejus nimis; conſuluitque*

Do-

Dominum; *& non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas: dixitque Saul ſervis ſuis: Quærite mihi Mulierem habentem Pythonem, & ſciſcitabor per illam*: 1. Reg. 28. v. 5. quaſi dixiſſet, quoniam flectere non potui Superos, Acheronta movebo. *Vir, ſive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit Spiritus, morte morientur*. Levit. cap. 20. v. 27. *Nec inveniatur, qui Pythones conſulat, neque Divinos*. Deuter. cap. 18. n. 11. *omnia enim hæc abominatur Dominus*. Cur non definiverimus, Sibyllas malo Spiritu comprehenſas?

V. De Geniis plurima recenſerem, ſed vetor propoſito, anguſtiiſque temporis: habete quæ ſequuntur. Univerſa Stoicorum Schola, ut auctor eſt Seneca epiſt. 110. docuit, unicuique Noſtrum dari pedagogum, ſcilicet de plebe, infimique Subſellii Deum: quique dictus ab Horatio in arte poetica placari vino:

vinoque diurno
Placari Genius feſtis impunè diebus. v. 210.

Siquando Apulejum delibaſtis, ubi de Socratis Deo ratiocinatur, accepiſtis mehercle, ſingulos ſingulis nobis datos. Ex Lactantio Firmiano poteſtis accipere: *Socrates eſſe circa ſe aſſiduum Dæmona loquebatur, qui ſibi Puero adhæſiſſet, cujus arbitrio, & nutu ſua vita regeretur. Magorum quoque Ars omnis, ac potentia, horum aſpirationibus conſtat, a quibus invocati, viſus Hominum præſtigiis obcæcantibus fallunt; ut non videant ea, quæ ſunt, & videre ſe putent illa, quæ non ſunt. Hi, ut dico, Spiritus contaminati, ac perditi, per omnem terram vagantur; & ſolatium perditionis ſuæ perdendis Hominibus operantur; itaque omnia inſidiis, fraudibus, erroribus complent; adhærent enim ſingulis Hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt*. De origine erroris lib. 2. cap. 15. de Dæmonib. pag. 166. Sed accipite ipſummet Socratem Platonis ore diſſerentem: *Adeſt mihi divina quadam ſorte Dæmonium quoddam a prima*

pueritia me ſecutum: hoc enim vox eſt quædam, quæ quum ſit, ſemper ejus rei, quam facturus ſum diſſuaſionem innuit; provocat verò nunquam. Plato de Sapientia. pag. 8.

VI. Nec unum Socratem divina ſorte locutus eſt Genius: dicitur de Numa, Apollonio Tyanæo, Juliano, & aliis ejuſmodi, ut eruimus a Paganino Gaudentio, ubi de Tranſmigratione Pythagorica. Legimus apud Laërtium, Ariſtotelem Magiæ peritiſſimum edidiſſe librum, cui titulus: *Pythicus*: atque eum, ut rem gratam faceret beneficæ Mulieri, quoniam *Quum annum ætatis ageret 17. jubente Pythia, ut philoſopharetur, Athenas conceſſit*: quod reportat Borrichius in Hermete. Fama eſt cum Paracelſo, & cum Cardano ſermocinatum, ſed quin tempora paullo vetuſtiora dimittamus, De Curtio Rufo habet Plinius lib. 7. epiſt. 27. *Offertur ei muliebris figura, humana grandior, pulchriorque. Perterrito Africam ſe futurorum prænunciam dixit: iterum eum Romam honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eamdem provinciam reverſurum, ibique moriturum. Facta ſunt omnia.* Et Galenus lib. 10. de uſu part. cap. 12. fatetur, ſomnio ſe perculſum, ut quod prætermiſerat, reſumeret; obſecutum Dæmoni poſteaquam imperavit; & demum ſua ſponte non ſcripſiſſe, ſed juſſu Dæmonis. Ad Brutum quærentem: *Quis Hominum, aut Deorum es, quid tibi vis, qui ad nos veniſti?* Habuit, ubi ſubmurmuravit: *Tuus o Brute Genius ſum, in Philippis me videbis*. Plutar. in vit. Brut. f. 271. Et ad alios, quos conſultæ hiſtoriæ ſuggerent.

VII. Hic verò feſtiviori veſtro intellectui materiam objectem, quæ academicæ par ſit exercitationi. Quod *Non só che*, vocat Gratianus in libello, cui titulus: *L' Uomo di Corte*, dicitur ab Auguſtino Maſcardi in Oratione, quam habuit Academicam, *Il Genio Predominante*. Verò quatenùs poteſt explicatione clareſcere, vis eſt, qua accedente, pulchrum, ac deforme, omniaque Naturæ aut liberalis, aut avarioris munera perficiuntur; infuſaque veluti mente vivificantur; ſine qua nihil probabile, nihil ſuave, nihil

hil proſperum. Undenam repetenda tanquam a Parentibus? videte, num queat ſine maximo errore Geniis attribui; horum enim, quum non unius eſſe qualitatis conſtet, alter alteri imperat; trahitque Hominem in obſequium illius, cui præeſt. Res non parvæ tractentur exemplis. Ex Plutarco in vita M. Antonii vertente Leonardo Aretini pag. 300. *Erat cum Antonio quidam ab Ægypto Magus, is vim naturæ Antonii contemplatus, dicere ſolebat: Fortuna quidem tua, o Antoni, ipſa per ſe ſplendidiſſima eſt, & ampliſſima; verùm quum Cæſari adhæret, continuò obſcuratur, & decidit: Tuus enim Dæmon illius Genium reformidat, quum celſus, atque alacer per ſe ipſum ſit; ob hujus tamen vicinitatem humilis fit, & abjectior.* Et narraverat Hiſtoricus: *In ludis, quos certatim inibant, non mediocriter angebatur Antonius, quod ſemper Cæſar eſſet ſuperior.* Quot, quæſo, invenit eadem fortuna in ludis, in amoribus, in literis? Audiatur Plato, qui exponit Socratem loquentem ad Diſcipulum: *Hæc omnia ideò Tibi dico, quia poteſtas omnis ad familiaritates cum his, qui mecum ſunt, inſtituendas, pœnes Dæmonium eſt: multis enim adverſatur; neque licet his auxilium ferre, qui mecum invito Dæmone converſantur; quare impoſſibile eſt, mihi cum his vivere. Multis autem hærere non prohibet; ſed conſuetudine noſtra nihil juvantur. Et diſcipulus: Si nobis annuerit, rectè omnia: ſin minùs; quid agendum ſit, conſultabimus tum, alterine cuipiam adhæreamus, an hoc divinum, quod tibi inſitum eſt, precib. ac ſacrificiis, & alio quovis denique pacto, quo vates jubent, placemus.* Plat. ibid. Hactenus Vetuſtiſſimi, quibus non illuxit Jeſu Redemptoris gratia: quid nos inſtitutis commonefacti ſanctiſſimis?

VIII. *Fide inſtruimur*, inquit Calmet, *Angelos ſingulos, ſingulis nobis aſſignari. Angelus, qui eruit me a cunctis malis:* Job. *Angelis ſuis Deus mandavit de Te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Pſalm. 90. Sunt & Angeli Urbium ac Regnorum, nam ex Deuter. 22. *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos Populorum juxta numerum Angelorum ſuorum.* Suſcipiunt

piunt, quidquid ſibi demandetur, fovent, protegunt, & pro conſervatione dimicant: En quæ apud Danielem: Obſidebatur Populus Danielis a Perſis, Cyro Duce: lugenti ac jejunanti Prophetæ adfuit Angelus, dixitque: *Noli metuere Daniel, quia exaudita ſunt verba tua: Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & uno diebus: Et ecce Michael unus de Principib. Primis venit in adjutorium meum; & ego remanſi ibi juxta regem Perſarum: Veni, ut docerem te, quæ ventura ſunt populo tuo in noviſſimis diebus; & nunc revertar, ut prælier adverſum Principem Perſarum.* Si verum eſt, dari Angelos Regnorum Cuſtodes, non aſſequor, quamobrem velit Calmet exponere contentionem, & prælium inter Angelum Hæbreorum, & Cyrum: Vox Princeps de Michaele ſonat Angelum; cur de regno Perſarum, ſonuerit Regem Cyrum? Utut id habeat; omnes omninò Patres admittunt decertationem inter Angelos. *Dicuntur Angeli Boni pugnare inter ſe non affectu, ſed effectu; nam quum ſui quiſque regni curam gerat, & utilitati conſulat; uſu venit, ut nonnunquam Angelorum, qui diverſis præſunt Regnis optata, poſtulata apud Deum, ſint inter ſe contraria.* Pererius in Danielem lib. 8. *Rectè dicitur quod contra ſe Angeli veniunt, quia ſubjectarum gentium merita contradicunt.* S. Gregor. lib. 17. moralium cap. 8: Habent igitur Regna ſuos Patronos, veluti Cauſidicos apud Deum: quando unus alteri reſiſtit, jam dicendo reſiſtit: ſi pares ſunt, additur tertius, defertur optatum ad tribunal Dei: Quid ſi cauſſa deſtituit alterum? Alter altero ſine contentione vincetur. Cur verò non contradicent pari methodo pro ſingulis nobis? Illuſtriorib. & ad egregia quæque deſtinatis Animis addici ſublimioris, diverſique ordinis Angelos, exploratum abundè eſt. Adamo Raziel, Abrahamo Tedechiel, Iſaaco Raphael, Jacobo Daliel, Joſepho Gabriel conſtitutus creditur. Ergo inter ſeſe impares; & ſolliciti noſtrorum omnium Cuſtodes, cur non meliùs nobiſcum agent, quàm Ethnicorum Genii? Si vel pili facienda vulgi conſenſio eſt; dum aliquem commendat, habet, *Bell' Angelo che ha Colui!* Sed

hæc

hæc, licet pabulum academico furori ſubminiſtrent, judiciorum ſeveritatem reformident, neceſſe eſt: nolunt me hebetioris intellectus Auctorem, ſed veſtram expetunt lucidiſſimam mentem, veſtramque miram ſedulitatem.

9. Redeat ad Cacodæmones oratio. Sunt Energumeni, Homines nempe, quos inhabitans Diabolus variis modis excruciat. *Dari reipſa Energumenos aſſerta eſt Scripuræ, Patrum, Judeorum, Paganorum, Veterum, & Recentiorum ſententia*, inquit Calmet, de Energumenorum veritate. Nonnulli Deo jubente invaduntur; permittente verò Nonnulli; uti quando Magus, vel Strix ſeu Malefica imperat Dæmoni, ut hunc, illumve deprehendat, inquietet, adverſa valetudine inficiat. Hinc ne Vos pervicaciter obfirmetis, obſecro, pernegantes, apparere Larvas, ubi præſertim Homo infelici morte ſublatus eſt: ab his enim non pauci facti ſunt Energumeni, quod exorciſmis poſtremùm innotuit: immo ſi fides habenda Sommario eſt: *ante quam Diabolus humana corpora ingrediatur, quaſi ſemper primò apparet eis in effigie alicujus Hominis, qui mala morte eſt defunctus; aut repreſentat aliquem ſuum conſanguineum, aut apparet ille in ſpecie alicujus animalis terribilis.* Simulant igitur Dæmones mortuorum animas; non comparent, qui deceſſerunt. En Angelicum cum Auguſtino, & Chryſoſtomo p. p. quæſt. 117. art. 4. ad 2. *Frequenter Dæmones ſimulant ſe eſſe Animas mortuorum ad confirmandum Gentilium errorem, qui hoc credebant. Et ideo credibile eſt, quòd Simon Magus illudebatur ab aliquo Dæmone, qui ſimulabat eſſe animam Pueri, quem occiderat.* Progrediamur: Viſus non ſemel eſt Energumenus ab Energumeno liberari; & a Mago: cur non & horum nutu obſideri quidam credetur? *Duo adſcribam*, inquit Del Rius quæſt. 7. *quorum fides rejici nequit: Anaſtaſius Micenus de Simone Mago, multos, ait, tentantes eum dicere præſtigiatorem: quum eos eſſet allocutus, & deinde convivii prætextu bovem ſacrificaſſet, & eos convivio excepiſſet, variis morbis & Dæmonibus, eos ſubjecit. Et Divus Hieronymus nobis proponit Dæmonem a Beato Hilarione*

 eje-

ejectum, quem Magus in Virginem immiſerat. Addit nonnullos ſucceſſus, quos exſcribere per tempus non datur Ipſe enim dicar probatiſſimus Vobis teſtis, quia malè affecto Equiti adfui: aperuit Dæmon in dulci per artem gelu, & alterius quidem Hominis imperio ſubjiſſe, plura dicturus niſi P. Innocent. Savanarola Cler. Reg. obſtitiſſet. Magis, Strigibuſque poſſe cogi ejuſcemodi Spiritus, ut debeant, velint nolint, ire, quò mittuntur; exequi rem, cui deſtinantur; nec meum, nec alterius conſilium eſt; Ipſi ultrò, nec ſine peculiari Dei permiſſione, ſe offerunt, obligantque, futurum ſperantes, ut Homines pertrahant in ſua vota, æternam ſcilicet perditionem. En quæ Auguſtino duce nos docet Angelicus quæſt. 115. artic. 5. ad 3. *Dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, rituum, carminum; non ut animalia cibis, ſed ut Spiritus ſignis; inquantum ſcilicet eis exhibentur in ſignum divini honoris, cujus ipſi ſunt cupidi.* En quæ Del Rius: *Sponte Dæmones ex pacto obſeſſum invadunt, finguntque ſe obtemperare: vel inferiores Dæmones ad id adiguntur a Dæmone Superiore, volente hac in re Malefico gratificari. Vtroque tamen caſu Dei permiſſio requiritur, ut cauſſa, ſine qua non poteſt hoc fieri.* En quæ Calmet in Dæmonem Aſmodæum. *Solent Dæmones ultro ſibi legem imponere, ut nihil ſibi, niſi ad nutum Clientulorum agendum permittant; in eo ſi quidem imperii ſui, impii, ſævique rationem conſtituentes, ut nocentibus ad nocendum ſerviant: illud maximum ſuum lucrum rati, ſi Hominibus famulatum exhibentes, illos ſibi etiam atque etiam devoveant.*

10. Reſtatne, cur in dubiis opinemini, aut eſſe Striges, aut ſuo nutu poſſe Dæmones in Hominem immittere? Ni fallor, negare quicquam non conceditur, quin ab orthodoxa religione deficiatis. Qui fiat igitur, ut negetis Philtrum, Faſcinum, Incantationem? Loquamur verò paullò fuſiùs, quod huc noſtra tandem pertineat oratio, neceſſe eſt.

11. Cum veritate conſentire ad hæc uſque noſtra tempora creditum eſt, naturalem quamcumque virtutem in herbis,

bis, verbis, lapidibus eſſe repoſitam; ab iiſque repetendam; accuratiùs tamen dicendum, arbitror, in herbis, lapidibus, & animalibus; a quibus eruitur univerſa materia medica. Perquirendum: Suntne Voces, & Carmina, quæ operantur quidquid auctor proferens efflagitat? Id erit Incantatio. Daturne Succus, aut aliud eſculentum, quod ubi admiſſum eſt, ad inſaniam uſque progeneret amorem erga determinatum objectum? Id erit Philtrum Amatorium. Eſtne Lapis, cui ſub peculiari Cæleſtium aſpectu Idoli, vel feræ inciditur effigies, ut tantum præſtet, quantum deſiderat Artifex? Id erit Faſcinum. Hoc tamen in ſignificationem multo latiorem extenditur; & pro communi voto ad explicandas noxas a maligno, trucique obtutu; & ad Veneris opus perditum.

12. Primùm exponere placet argumentum, quo Joannes Gutierrius in libello de faſcino conatur quodcumque maleficium, naturale, ſcilicet, aut Dæmoniacum excludere. *Dæmon*, ait ille, *propria virtute nequit tranſmutare materiam corpoream, niſi adhibeat illi activa proportionata effectibus, quos intendit: Sed implicat omni modo agens naturale faſcinare aptum*, ergo *& quod Dæmon faſcinationem operetur*. Mirabile ratiocinium! Non eſt faſcinum naturale, ergo neque diabolicum! Eſto locus Ettmullero, qui habet: *Nemo negat, quod dentur Philtra Magica, hoc eſt, quando inito cum Dæmone pacto, hujus ope, alterius conciliatur amor: adeoque neceſſe eſt, ut dentur etiam naturalia Philtra, quum Dæmon non ſupra naturam, nec contra naturam agere queat.* Cuinam aſſentietis? neutri me Judice. Ratum facit, convinci Gutierrium ſimili Ettmulleri argumento; extra dubium enim eſt, dari philtrum Magicum: ſed hortor, ut expendatis motivum, de quo ſic opinor. Agit Dænon contra naturam univerſalem, ſeu ordinem conſtituti Mundi; quia poteſt corpus grave ſurſum elevare, & impedire, ne mergatur, dum per aquam incedit: quid cauſſæ, quamobrem non poterit alium quempiam efferre, uti Chriſtum Dominum extulit uſque ad templi pinnaculum? Hinc trahitur, non eſſe mergendos, qui per aerem, medium minùs denſum, quàm aqua,

qua,

qua, deferri poſſunt. Supra naturam agere, ſi creationem importat; illi mehercle non eſt attribuendum; verùm ſi notat poteſtatem, quam hactenus a mundo condito in rebus naturalibus non vidimus, uti foret Comminutio duriſſimi lapidis in Veſica per ipſum immediatè, atque ex tempore patrata; aliter ſentio. Si conſulta conſcientia & ſine teſtibus loquendum mihi eſt, puto Dæmonem poſſe panem in carnem, lapidem in panem, aquam in vinum reipſa, nimirùm ſine præſtigio ſeu intuentium fallacia, & immediaté commutare, quia novit cohærendi modum inter particulas: nonne mediatè fit virtute nutritionis in viventibus? cur non immediatè per Dæmonem? erit ſupra vires naturæ quum nunquam tales immediatas mutationes effecerit, ſed non incredibilis potentiæ. Multiplicatio panis, vini, & aliorum, non ſubtracta aliunde materia, expectanda eſt a creante; & virtus ejuſmodi, quum ſit infinita; repugnat Creaturis.

13: Ut, qua teneor ſententia, faciliús aſſequamini; rem totam in plures placeat ſeparare particulas. Poculum amatorium determinati objecti amorem ingerit, adigitque ad inſaniam. Cur negabitis, naturæ viribus id eventurum? Deſtinetur Poculum, ut hoſtilem faciat animum, ut odium, rabiemque progeneret: deinde ita pergamus; Hydrophobi ad poſtremam deſperationem, aquarum horrore compelluntur: aliorum liquorum aut non item; aut omninò minùs: Quid abſurdi, ſi accedentibus extrinſecùs objecti cujuſdam effluviis ad meam ſpirituum ſyntaxim, ita conturber, ut ad repellendum illud ſtudioſiſſimè incumbam? profectò nihil: Cur non rapiar in amorem, ſi ſpirituum ſyntaxis maximopere demulceatur? Sit humor in me, qui Canis effluxibus componatur ad excitandam ſummam delectationem; amabo quidem, ut nihil ſuprà, Canem; quem ſi mihi habere non potero, & hærebo in deſiderio; prehendar demùm inſania. Adoleſcentes Mei, non eſt idem, neſcire ſuccum, ſeu medium, quo res fiat; ac Succum Naturâ non ſuppeditari. Unde animorum defectiones, & formidandi quidam vomitus ob certum edulium clam admiſſum? Dux Franciſcus

ciſcus Rizzari (virum nomino, qui ſemper Bonorum deſideria & lacrimas excutiet, ſemperque judicabitur, morum integritate, avito ſplendore, omnigena literatura, Catanæ, immo Siciliæ ſplendidiſſimum ornamentum) incredibile dictu, quanto faſtidio erat in teſtudinem aquatilem: amicè deceptus in convivio, alterius cibi ſpecie oblatam Teſtudinem admiſit: quid tum? illicò miris correptus angoribus, qui eatenus afflixerunt, quoad illam vomitione rejecerit. Quid taceam præclariſſimæ jucunditatis materiam? Subodoratus erat nobilis Sembronius a Titiano inviſum, ſuprà quàm credi poteſt, haberi citreum Cucumerem: quum ab illo in ſingulare certamen vocaretur; venit ad condictum locum, extrahit pro enſe prægrandem cucumerem: quid tum? in præcipitem fugam agit inimicum, ut, ne contumeliis quidem, valeat in ſe convertere. Cur non admittemus complacentiam, ut vel quodammodo inviti, in rem aliquam pertrahamur? Cur tantum faſtidium, ut nequeat ſine maxima virium proſtratione tolerari; & non admittendum oblectamentum, ut res vix poſſit removeri?

14. Ecquid verò Sembronii ſpiritus demulcebit ad Fibrullam depereundam? Potuſne Sanguis ab illa menſtruante? An quæ inguen contegit, deraſa, & deglutita pubes? An ingeſtus panis, qui ſudore maduit ſub axillis? nihil tale, nihil, Adoleſcentes: expectandi Magiſtri ſunt, qui requiſitam materiam ſuggerant: in apricum proferet fortaſſis ætas, quod eſt hactenus in abſconditis. Philtrum aliud non permitto, quàm certa quædam effluvia, quæ vim non levem ſpiritibus aliquibus inferant, excitetur oblectamentum, quo Sembronius ægerrimè deſtituatur: id verò ſuccedet pro lege naturæ, non pro voluntate emittentis effluvia: ſi quis enim tali methodo pertrahitur, dæmoniaco miniſterio pertrahitur, & vocatur Maleficium Amatorium, de quo Martinus Del Rio (*Non diſputo*, inquit, *an ſit: id ſuppono: Qui negant, eos Sacræ literæ, Juris utriuſque Sanctiones, Hiſtorici, Poetæ, Communis ſenſus, & Sæculorum memoria damnat.*) Non ignoro vel Dæmones, ut fallant, uti rebus quibuſdam ad munus

exe-

exequendum; ſed quænam ſint; omittenda cenſeo: ſat eſt, indicaſſe; quod non ſolent a Sacris recedere, veluti a luſtrali aqua, & oleo; ab Hoſtiis multiplici Miſſa conſecratis; atque id genùs aliis. Ex pacto inito Diabolus obtemperat; movet Sembronii ſpiritus a conſpectu Fibrullæ, ut ſummam faciat delectationem; exſuſcitat Fibrullæ idolum, ut defixus ille diù hæreat; adigatur ad ſummi deſiderii conatum, inde ad inſaniam; quod etiam pro ſtatu Naturæ ſucceſſerit, ſi una in cogitatione diutiſſimè permanſerit.

15. De Incantatione fermè nihil eſt, quod eloquar: quamquam enim Multis vox fuerit Lena Sagaciſſima, uti ab experimento Cantantium affirmavit Ovidius; tamen nihil quidquam poterit, ſi nihil poſſe volemus, aut clauſis aurib. aut repellente cerebro. Promiſſo Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri prolata per Sacerdotes Sacramentorum verba id operantur, ad quod inſtituta fuere: quæcumque ſunt reliqua, movent Auditorem, aperiunt loquentis affectum, deferuntur per ventos, & irrita vaneſcunt. Credulis imponit Diabolus; horumque edito carmine, præſtat exitu, quod pollicitus eſt.

16. De Faſcino in pauciſſima conferam, quæ ſentio. Non ſum meherclè, qui traham cum nonnullis a Sanctis Scripturis naturalem ab oculis emanantem faſcinationem; non qui prona dilabar fide in quæcumque circumferuntur: non qui mihimet cum Plinio perſuadeam, Mulieres quadruplici præditas pupilla, iiſque deberi faſcinationem: Sed numquam inficiabor a doctiſſimis Viris, aut teſtibus, aut exemplis, naturale faſcinum proponi; Si timetis, ne ad nimis credulos relegemini, prætermittite, minoris ſubſellii Olaum Magnum, Dionyſium Cartuſianum, Abulenſem, Valleſium, Mercurialem; & injuriam tolerate cum Ariſtotele qui 21. ſect. probl. 34. Inquirit. Cur Ruta remedium faſcinationis habenda ſit? cum Alberto Magno qui lib. 22. de animalib. cap. 5. *Hinc*, ait, *etiam cauſatur faſcinatio, qua Anima unius agit ad alterius impedimentum, vel expeditionem per viſum aut alium ſenſum:* cum Angelico, qui duo faſcina ſuſtinet, alterum Naturale, Dæmoniacum alterum. En verba p. p.

quæſt.

quæſt. 117. artic. 3. ad 2. *Quum aliqua Anima fuerit vehementer commota ad malitiam, ſicut maximè in vetulabus contingit, efficitur ſecundum modum prædictum aſpectus ejus venenoſus, & noxius, & maximè Pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptivum impreſſionis. Poſſibile etiam eſt, quod ex Dei permiſſione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc malignitas Dæmonum, cum quibus Vetulæ Sortilegæ aliquod fœdus habent.*

17. Si aliquanto liberiùs, quid tandem mihi videatur, enucleandum eſt; accipite: Imperavi jamdiu mihi, ut crederem, eſſe quaſdam temperaturas, & oculos, quæ per cutis ſpiramenta, emittant halitus, & latenter officiant: præſertim verò dum furor exagitat; quia copioſiùs a quocumque corpore minimæ partes erumpunt ſub inteſtino tumultu. Plurimas Mulieres halitu odori muſci in convulſionem conjici, manifeſtat experientia: nec infrequenter occurrunt Homines, qui dormiendo cimices omnes occidunt. Teſtudine terreſtri admota, in ſyncopticum affectum adducitur Monacha, quæ nobis terrorem mentiri videbatur. Hinc arbitror, Pſyllorum virtutem non aliam eſſe adverſus Viperas, alioſque Serpentes, quàm effluvia toto corpore manantia, ut his exitialis veneni loco ſint: Cur, quæſo, vetabor admittere naturale faſcinum? Sed recitem iterum, neceſſe eſt, nunquam id pro voluntate fieri, nunquam in quoſcumque, nunquam a quocumque; tantum enim nefas unus Dæmon operabitur. Si Fibrullæ temperamentum Fabricio reſpondeat, uti Monachæ teſtudo; hunc ſanè uno furentis obtutu, una peſſimùm exhalantis vicinitate faciet ſemi-animum.

18. Verò ut libera, naturaliſque poſſit exiſtimari faſcinatio, exempla in unum coacervata legetis plurima. Videte, ne illa credere non ſit neceſſarium; & cavete, ne cognitionem, ac perceptionem aſſertio præcurrat, & adprobatio. Deſideratiſne unum aliquem Patronum? en magis tutum, Jacobum Spregner e Prædicatorum familia. Maleficiorum quæſitor, ac vindex egregius, docet in Malleo Maleficarum: *Contingere, ut per aliquam paſſionem interiorem tranſmutentur*

oculi in aliquam malam qualitatem, maximè cooperante ad hoc imaginatione. Atque ut

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,

ita delata qualitas per aerem, pertingat ad Puerum, eumque graviter plectat. Addit e ſacro libro Levitici: *Magna virtus in oculis, quod in naturalibus apparet.* Demúm rem claudit vulgatiſſimo Baſiliſci oculo, qui perdit, quoſcumque primus aſpexerit. Nonne iſtiuſmodi fabella de animali nato ex ovo Galli vetuſtioris in ſuſpicionem reliqua traxerit? Nonne illud Levitici poteſt intelligi de pulchritudine oculorum in amorem pellicientium? Nonne ſubjectum determinatum maligna virtus inficiet, & pro Naturæ quidem neceſſariis legibus, non autem pro emittentis libera contentione?

19. Delaberer in ſermonem de Frigidis, ac Devotis, vulgò *Maleficiatis*, quantum ad explendam ſeminis ejaculationem: Sed parum firma ætas veſtra, & aures nondum aptæ venereis, quum ſine verecundiæ immani faſtidio neceſſariam explicationem non tolerent; ſatiús arbitror, illum prætermittere. Scripſerim tamen velociſſimo calamo: Frigidos appellari, qui ſuopte ingenio, ſeu temperamento nunquam lateri, & cuicumque ſanè lateri, conſeruere latus, ob peccatum in organis: quamobrem diſcupientib. negatur genitale arvum excolere. Devotos dici, qui Veneri nequeunt in area ſuarum Mulierum operari, aut qui, licet ſtudium omne impenderint, nullibi, quàm in Lupæ. Conſulite præ cæteris Paulum Zacchiam in quæſtion. Medicolegalib. hìc ex mea ſententia verum reputate, poſſe per Dæmonem lædi generationis inſtrumenta; obſtrui canales, in quibus abſolvendum ſemen; enervari fibras, ut nullus a ſede oblectationis ad Imaginationem impetus traducatur; turbari ſpirituum ſyntaxim pro Uxoris aſpectu; fieri hujuſce generis innumerabilia.

20. Efflagitatis poſtremùm, ut in poculum amatorium, aut amarulentum; & in Faſcinum naturale, aut diabolicum remedia ſubindicem. Naturali malo auxiliatur locorum diſjunctio: auxiliatur quandoque neceſſitudo, ob quam novis ef-

effluviorum agreſſionibus lentè aſſueſcimus, ut nec vehementer ac perſeverantiùs demulceamur conſtanti jucunditate; nec perpetuo faſtidio cruciemur. In Magicum unus miſericors Deus opponendus eſt. Licet, fateor, enumerare quàmplurimos, qui defendunt, conſtitutam divina Providentia quamdam legem, ut ſuffitionibus, aut propinquitate definitorum materialium Dæmones abigantur. Nonne corporeorum motibus impetitur Anima Rationalis, ut doleat, gaudeatve, quamquam Spiritus eſt? Nonne Infernorum ignis materialis pro diſpoſitione Dei Dæmones ipſos torquet? Pertinent in hocce conſilium & uſus Exorciſmorum, & fauſtus Tobiæ ſucceſſus. Ab Exorciſmis, quos adprobat Catholica Eccleſia, alius eſſe Superbiæ ſpiritus dicitur, alius Fornicationis; immò nullum vitium eſt, in quo ſuus non delectatur, & ad quod Homines non pellicit Diabolus: cur non tangetur corporeis, ut ea averſatus, aliò ſeſe proripiat? Ex Tobia eruitur, Angelum mendaciorum neſcium de piſce ſic loqui ad Tobiam: *Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum ſive a Viro, ſive a Muliere*: Quis aliam apud Medicos explicandæ virtutis methodum dicet, dum naturam medicaminum exponunt? Si noſtræ Sanctiſſimæ Religioni videtur non repugnare, eſt, cur admittatis ſuffitus e ſulphure, hyperico, veronica: cur collo appendatis torrefactum hepar Camaleontis: Cur innumera periclitemini, quæ apud citatos a nobis Medicos invenietis. Qui verò legem hujuſmodi inter corporalia & Dæmones ſubtile, non probabile cogitatum arbitratur; credat neceſſe eſt, nullum, præter Divinam voluntatem, adinveniri præſidium. Exturbabitur fortaſſis Emetico quidquid Dæmonem in ventriculo ex pacto cohibet: exturbabitur & ab aliis partibus alio pharmaco, unde Devotus in optatam redierit ſanitatem: quod appellant, Indirectè ſuccurrere: ſed poteſt Dæmon medicamentum ab opere prohibere: Ecquid ſi extra Hominem erit fallax vinculum, & ille per ſe vim humoribus inferet? Ne indirectè quidem Medicina profecerit. Licebitne propterea petere, ut a Malefico ſolvatur?

 inte-

integris conſcientiæ juribus; nequaqnam. *Operatio maleſica, quæ petitur, eſt intrinſecè mala*, inquit Del Rius, *nec ſine peccato fieri poteſt, quia petendo conſentit ejus malitiæ: nam digni ſunt morte, ut habet Apoſtolus ad Rom. non ſolùm qui talia faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.* Quod ſi operatio non eſſet maleſica, aliter ſentiendum puto: Enimverò ſi Pharmaceutriæ liciis ita quidam implicatur, ut perſtare vinculum debeat, quoad malum punicum verbi gratia clavis pertuſum aſſervetur; eveniet, ut pomo corrupto, vel clavis quomodolibet, ſcilicet etiam caſu, evulſis liberetur. Cur id non fas erit expectare a Maleſico per minas, preces, munuſcula? Sed cavete, ne munuſcula faciant Vos devotos; novum enim non eſt, abjectæ frontis Impoſtores circumire & eò temeritatis evadere, ut capillos, ferrique ramenta cum emetico miſceant, occultent glutine, catapotia offerant, ſpondeant focum Dæmonis abacturos, probent exitu quod ſpoponderunt, veſtra gaudeant & munificentia, & credulitate.

IN SUMMA.

Spectra, Lemures, Genii non ſunt, niſi Dæmones. Doloſa horum ſervitute poſſunt Stryges Hominibus ita nocere, ut videantur divexari morbis; ad quos debellandos non licet opem a Maleſica petere, ſi huic ad ſuum Dæmonem iterum confugiendum ſit. Quamquam fabula eſt faſcinum a Vetularum truci obtutu; & quidquid pro illarum voluntate nociturum evulgatur; poſſunt tamen dari quarumdam effluxus, qui certos alios naturaliter devinciant.

FINIS.

Hoc genus Scripturarum non cum credendi neceſſitate, ſed cum judicandi libertate legendum eſt: & liberum ibi habet Auditor judicium, quo vel adprobet, quod placuerit; vel improbet, quod offenderit. S. Aug. lib. 11. contra Fauſtum.

EXER-

EXERCITATIO
SINGULARIS
DE IDEIS

Habita in Lyceo Catanenſi, dum Philoſophiam a ſupremo loco profitebatur.

AB SPECTABILI

AUGUSTINO
GIUFFRIDA

Primariæ Medicinæ Præceptore, Catanæ; Acis, Maſcalarum &c.

Iterum

ARCHIATRO.

Qui ſe offerunt inſolenter, & inſectantur; quoad ferri poterunt, perferemus: neque quemquam offendet oratio mea, niſi, qui ſe ita obtulerit, ut in eum non invaſiſſe, ſed incurriſſe videamur.

Cic. pro P. Sextio.

EXERCITATIO SINGULARIS:

DE IDEIS.

Videbor acriùs, immò & arrogantiùs fortaſſe differere, quàm fas eſt, quum in Homines & doctrinâ clariſſimos, & auctoritate maximè reverendos habetur oratio: ſinite verò, ut pro ſingulari ſtudio, quo vos proſequor, impetrem, ne, quia nimis citò, me libentiſſimè damnare, dicamini. Cogor impugnare conſilium eorum, quos pro infinitis, perpetuiſque in Rempublicam literariam meritis ſumma veneratione ſemper excepi; quos non ſine laude, ſecutus ſum; quos non ſine incredibili voluptate imitanda propoſui erudiendis quibuslibet Adoleſcentibus exemplaria: ſed quum & aliter ſentiendum, arbitrer, ideoque à Majoribus, quippe qui errent, recedendum: & reſiſtendum ſit iis, quibus una fultis auctoritate præcipuum eſt, cavillari, & contrarium defendentis aures petulantiore pulſare convicio; fieri nequit, ut contra mentem quidquam definiam, ac pro mendacio dimicem; & pugnantes rumoribus non caſtigem ad ponendam temeritatem. Quàm indecorum, quàm illaudabile, quàm noxium eſt Sectę cuidã philoſophicæ, in quod nemo unquã aut valuit, aut valebit, explicandum incumbere! Timendum herculè, ne quod unum falſa eſt; falſa, quidquid eſt reliquum, evulgetur. Et dolendum vehementer, quòd unius alicujus ingenium atque fortuna, ſub publicis præſertim concertationibus, omnium Recentiorum ingenium, fortunaque reputetur. Quid ſi vel ipſi vos amatis inter parùm cautos, & novitatis architectos enumerari, quòd pluribus placere opinamini? Cur non inertes excitem, errantes arguam, ambitioſos reprehendam? At enim me in ſaniorem ſententiam ipſe revocem: Pugnabo pro mea virili; pro habilitate rem aperiam; pro temporum, ingeniorumq. conditione cuique veſtrum ſua libera judicia relinquam. Audete, vos quoque dignos fingite, qui judicetis; depono quod Præ-

cep-

ceptoris eſt, Competitor eloquor. Si cauſa talis ſuſcepta eſt, in qua ratiocinatio, & explicandi confidentia cuicumque deeſſe debet; inveniam principium, ſi non exitum; & veritatem ſub aſpectum ſi non traham, indicabo quò veſtram oculorum aciem intendatis. Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde faciliùs intelligi queat, quid ſit id, de quo diſputamus; oſtendam primùm, ne inter ipſos quidem Idearum ingenitarum Aſſertores conſtare quid ſit Idea; ni relabantur ad Antiquiſſimos: Deinde nullam eſſe ingeneratam extrinſecùs, at prorſus omnem ab Anima noſtra ſenſuum miniſterio comparari: poſtremò nihil eſſe cauſſæ, quamobrem tales Ideas Adverſarii comminiſcantur.

II. Idea, ſi non abhorremus a Seneca, eſt eorum, quæ fiunt, Exemplar: quò tamen explicatio fiat apertior, en clariorem interpretationem. *Volo*, inquit tom. 2. epiſt. 58. pag. 154. *imaginem tuam facere; exemplar picturæ Te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat: ita illa, quæ me docet, & inſtruit facies, a qua petitur imitatio, Idea eſt.* Et ab Angelico explanatur veluti *forma domus in mente ædificatoris, ad cujus ſimilitudinem domus fiat in materia.* Accepta videntur hæc a Platone idearum principe Magiſtro, ubi docuit, in mente divina eſſe creaturarum omnium æterna exemplaria; quæcumque enim facta ſunt, præconcepta, & diſpoſita ab æternitate fuerunt; nec unquam facta, niſi ad æternum, atque divinum exemplar. Finivit Ideam in Timæo: *Aliud, a quo ſimilitudinem trahit quod naſcitur.* Deinde ſic philoſophatur: *Quamobrem Univerſi quod & genitum eſt, & ſenſibus omnibus manifeſtum, Matrem ipſam, receptaculumque dicamus, inviſibilem ſpeciem quamdam, & informem ſinum, omnium capacem, qui modo vix explicabili divinæ, & intelligibilis naturæ ſit particeps.* quamobrem ſcitiſſimè Boethius ad Deum: ....*Tu cuncta ſuperno*

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

Et

Et S. Auguſtinus: *Quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidiſſe? Quod ſi rectè dici, & credi non poteſt: reſtat, ut omnia ratione ſint condita, nec eadem ratione Homo, qua Equus: hoc enim abſurdum eſt, exiſtimare: ſingulæ igitur propriis ſunt creata rationibus: has autem rationes, ubi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim extra ſe quidquam poſitum intuebatur, ut ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat.*

3. *Quid verum atque decens curo, & rogo, & omnis in hoc ſum*, ut petam ab iis, qui ſe Recentiores evulgant, quid ſit Idea. En Arnaldum: *Idea nomen ex eorum numero, quæ adeo clara ſunt, ut ulteriùs explicari per alia non poſſint, quia non habentur clariora, vel ſimpliciora.* En Purchotium, in logicis. *quid ſit Perceptio vel Idea naturaliter omnes intelligunt: & faciliùs ea res intelligi, quàm verbis exprimi, ac definiri poteſt.* Ipſe omni ſtudio, ac ſedulitate conſequi nihil potui, quàm quod Plato, Seneca, S. Auguſtinus, Angelicus edocuerunt, & pluribus explicarunt. Inſtructus Sanctis literis: *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod Tibi monſtratum eſt in monte*; malui mirabilibus prorſus ingeniis, quàm alteri cuicumque credere, non tamen ſine argumento, quod petatur a conſulta mea conſcientia. Idea poſtquam hi Doctores auditi ſunt, cœpit mihi ſignificare; antehac verbum erat, & ſonus ſine mente. O feliciſſimam talium Recentiorum Naturam, cui tam vehemens vis luminis impertita eſt; ut, quod non datum Platoni, Auguſtino, Angelico, audita voce perciperent evidentiſſimè! Verùm ut me, ſuoſque Sectatores juvent, oſtendant pro quo ſtat vox Idea: ſignum enim & ſe, & aliud a ſe commonſtret, neceſſe eſt: dicent verboſiùs quidem, ſed pro Diſcipulorum profectu, non inutiliter.

4. Audiamus Carteſium meditatione tertia pag. 28. ſic diſſerentem: *Quatenus Ideæ iſtæ cogitandi quidam modi tantùm ſunt: non agnoſco ullam inter ipſas inæqualitatem: & omnes a me eodem modo procedere videntur: Sed quatenus una unam rem, alia aliam repreſentat, patet eaſdem eſſe ab invicem valde diverſas: nam illæ, quæ ſubſtantiam mihi*

exhibent, majus aliquid ſunt, atque ut ita loquar, plus realitatis objectivæ in ſe continent quàm illæ, quæ tantùm modos, ſive accidentia repreſentant. Et paullo ſupra: *Nunc ordo videtur exigere, ut prius omnes meas cogitationes in certa genera diſtribuam: quædam ex his tanquam rerum imagines ſunt, quibus ſolis propriè convenit Ideæ nomen.* Et epiſt. 54. ad Merſennum t. 2. *Reſpondere poteris, me per vocem Ideæ intelligere quidquid in cogitatione noſtra verſari poteſt.* Et alibi in definitionibus tom. 1. meditat. pag. 85. *Ideas voco imagines non quatenus ſunt in phantaſia corporea, hoc eſt in parte aliqua cerebri depictæ, ſed tantùm quatenus mentem ipſam in illam cerebri partem converſam informant.* Et in tractatu de Homine n. 7. vult Ideas accipi *pro formis, aut imaginibus, quas Anima Rationalis proximè reſpiciet, quando unita cum hac machina imaginabitur, vel ſentiet objectum aliquod.* An ab his meritò Arnaldus affirmat: *Quum de Ideis loquimur, non tantùm indigitamus eo nomine Imagines, quæ Phantaſiæ inſunt; ſed etiam quidquid aliud eſt in mente noſtra quando verè poſſumus affirmare, nos rem quampiam concipere?* cap. 1. in logic.

5. Collatis hiſce textibus, Ecquis in conſilii ſocietatem, tanquam in equum trojanum includi non recuſet? Ecquis non offenſet, interſiſtatque? Modus cogitandi cogitatio eſt, nempè Animæ actio: quidquid in cogitatione verſari poteſt, non eſt cogitatio ipſa: verò ut cogitationes ullam inter ſe inæqualitatem non habent: habent tamen ut exhibentes accidentia, vel ſubſtantias, ſecundùm præjactam doctrinam: igitur Merſennus reſpondere interrogantibus debebat, Ideas eſſe quidquid in Anima verſari poteſt, non quidquid in cogitatione. Quæ ſubſtantiam exhibent, non ſunt aliquid majus, quia repræſentant aliquid accidentibus majus: ſed quod in illis verſatur eſt majus. Et quorſum a Merſenno Carteſius conſulitur ſuper re manifeſtiſſima? Solis Imaginibus rerum competit nomen Ideæ: Imagines vel ſunt in phantaſia corporea;

vel

vel informant Animam: vox ergo ambigua eſt: non valet enim eſt Imago, ergo informat Animam: Quis volet nihil eſſe notius ambiguo? Si conſilioſè, pacatéque in memoriam regrediuntur, dicent oblivisci non potuiſſe, quod a Vetuſtioribus acceperunt: Sententiam ut in ſpeciem facerent aliam, fecerunt verrucoſam, & fuſcavere. Communiſſimum eſt apud Antiquiores Perceptionem & futuram, quæ conformis obiecto ſit, propterea que vocetur *Eſſe objecti Extrinſecum*: Et quæ procedat vitali methodo ab Anima, a qua procedere dicit etiam Carteſius: Ex objecto naſcitur Idolum in phantaſia, ab Idolo, quod propriè eſt Idea, ſic operatur Anima, ut ſibimet aliam veluti pariat Imaginem. Videte hinc, ſonetne hodiè *Idea*, quod olim *Verbum Mentis*. En quæ Nicolaus a S. Joanne Baptiſta in auguſtiniana philoſophia: *Verbum mentis non eſt mera intellectio. Sed eſt illius terminus per ipſam intellectionem productus: dum enim intelligimus, ipſa intellectio format ſimilitudinem objecti quod intelligimus.* En quæ Averſa: *Planè Idea eſt objectum quod ab Artifice apprehenditur: Eſt conceptus objectivus in mente.* Convertite Vos ad Purchotium: *Idea idem quiddam eſt, ac rei ſpecies Intellectui exhibita, & ab eo percepta, ſive eſt objectum ipſum mente conceptum.* Convertite ad Carteſium in diſſertatione de methodo pag. 22. qui pluries aſſerit habere Ideas perfectionum Dei in ſe, quod mehercle perſuadet *nomen Ideæ generaliter ſumi* (ut notatur in margine) *pro omni re cogitata, quatenus habet eſſe quoddam objectivum in intellectu.* Condocefacite quæſo diſcrimen inter Primos & Alteros Præceptores: & Vos dignos, qui donemini rude, prædicabo.

6. Sed antequam de ratione, cur innatæ putantur, dico; de ipſis perceptionibus dicam pauciſſima, quæ ſunt neceſſaria, ut Cavillatorum quorumdam nenias evitemus. Concedat, oportet, cuicumque mens non leva eſt, Animæ applicationem dum aſſequitur objectum, non eſſe unam Animam; hæc enim licet modò præſentem habeat phyſicam veritatem, modò moralem, modò accidentia, modò ſubſtantiam;-

tiam; tamen invariata eſt: Perceptiones nunc ſunt quidem aliæ, atque aliæ. Verùm quid illud tandem eſt, quod ad Animam accedit, facitque ex intellectiva intelligentem, nec ſatis firma ratione unquam, nec experimento potuit innoteſcere. Evulgavi conjecturas meas in medica Theoria ubi de modo quo Rationalis Anima operatur: neceſſarium non arbitror eadem hic recitare; ſed monere ſolummodo, me in ſequentibus, ut clariore ad revincendos Adverſarios methodo procedam, non multum eſſe ſollicitum de vocibus, quæ velle videbuntur novam entitatem abſolutam, aut genitum aliquod novum accidens. Mihi donec meliora ſuggerentur, ſemper ſtabit, Animam convertendo ſe ad phantaſmata intelligere; & converſionem eſſe quamdam habitudinem terminativè defectibilem, & quæ in Anima non faciat accidens diſtinctum, ſicuti actus liberi in voluntate Divina: Recolite, quæ alibi.

7. Innatæ igitur ſunt Ideæ? num omnes? Ita diſtracta, & inter ſeſe diſſentientia offerunt conſilia; ut animum aut incertum, perplexumque relinquant; aut ob hanc ipſam doctrinæ inconſtantiam validiſſimum falſitatis argumentum ſuppeditent. Recenſeamus ordine, quo poſſumus, treſque in claſſes partiamus: prima ſit cum Carteſio: altera cum Craanen, & Brinio; tertia cum Purchotio, quem ructari audio a quibuſdam ſtudiorum veſtrorum æmulis, & imitatoribus. Ex citata Carteſii epiſtola: *Quædam ſunt adventitiæ qualis eſt Idea, quam de Sole vulgò habemus: Aliæ factæ, vel factitiæ, in quarum numerum referri poteſt Idea, quam de Sole Aſtronomi ratiocinatione ſua vulgò formant: Aliæ denique ſunt Innatæ ut Idea Dei, Mentis, Corporis, Trianguli: & generaliter quæ aliquas eſſentias veras, immutabiles & æternas repræſentant.* Non definitur, quomodo factitiæ ſint in Anima, & quid ſecundum ſe ipſas ſint: daretur ſane lumen aliquod, ut innatæ poſſent quoquo modo intelligi: quia differentia non eſſet quantùm ad vim afficiendi Animam, & repreſentandi objectum, ſed ſolùm quantum ad modum, quo generantur ſeu Animæ conceduntur, aut ab eadem ſibi comparantur:

ſantur; propterea nihil mirum ſi ex Carteſio nondum conſtat, quid ſit eſſe Innatas.

8. Audiamus Antonium le Grand. ex quo valet idem eſſe Innatas, & Inditas, quod *datam eſſe a Deo menti facultatem tales conceptuum formas producendi: nec illas ſecundum exemplar rerum extra illas poſitarum efformari.* Huc ſpectat Arnaldus, ex quo valet: *Mentem noſtram in ſe habere illarum efficiendarum vim: quamvis mens ſæpè excitetur ad eas efficiendas a re quadam, quæ ſenſus afficit. Sic Pictor propoſita mercede ad pingendum inducitur: quamvis eapropter Pictura dicenda non ſit, ab hac mercede duxiſſe originem.* Et cur ex Carteſio in meditatione 3. prope finem non referam, quæ de Idea Dei? *Non mirum eſt,* inquit, *Deum me creando Ideam illam mihi indidiſſe, ut eſſet tanquam nota Artificis operi ſuo impreſſa: nec etiam opus eſt, ut nota illa ſit aliqua res ab opere ipſo diverſa: ſed ex hoc uno quod Deus me creavit, valdè credibile eſt, me quodammodò ad imaginem & ſimilitudinem ejus factum eſſe; illamque ſimilitudinem, in qua Dei Idea continetur, a me percipi per eandem facultatem per quam Ego ipſe a me percipior.*

9. Sunt ergo formæ, Le Grand. judicio, tum ingenitæ, quum producuntur ab Anima, & quidem non ſecundum exemplar extra illas. Bellè: Nonne formæ ſunt variæ, & Animam reddunt res varias intelligentem? Ecquis dicet ex eis quæ intelligit eſſe nihil ex repreſentatis extra formas? omnem veritatem, qua imbuitur non habere objectum extra cognitionem: offerant exemplum, & fatebuntur erraſſe. Ecquis ſeriò admittet, Pictorem, qui effinget varias imagines, quæ nihil præter ſe ipſas exhibeant; Artificem tamen delectatione afficiant inquantum Canem, Equum, Gallum delineavit? Præterea forma producta ſi ſpectetur ſecundum naturam quid eſt? Cur Anima factitiis indigebit, ideoque & phantaſmatibus, quoniam poteſt omnes res intelligere ſe una? Cur quæſo neceſſarium phantaſma ad factitias? non erat mehercle quare hoc, non illud aſſequeretur objectum: & ad Ingenitas, unde habet, ut has & tot; non illas, & multo plures

pro-

producat formas? Produxitne Anima innatas ſimul omnes, neceſſariò & conſequenter ubi primùm creata eſt? ita prorſus: ſed neceſſariò productas, non eſt, cur aliquando amittat: quare ſemper erit actu intelligens id, quod per has docetur. Deſcendite in Voſmet ipſos, tentando diſcite, deindè me ad talia inhabilem commonefacite: Ipſe enim mihi jamdiu perſuaſi, quod Verbum mentis eſt ſicuti vox loquentis, quæ præter ſe ducit in alterius cognitionem. Sed quis ex Carteſianis aliter philoſophabitur, ubi admiſit Ideam omnem eſſe imaginem, & ſtare pro re cogitata, quatenus hæc habet eſſe objectivum in intellectu?

10. Siquis hinc ad Arnaldum fugiat, velitque Animam ad efficiendas ingenitas excitari quadam re, quæ ſenſus afficit: nec quid ſonet ingenitum unquam explanabit; nec palam faciet differentiam a factitiis. Idea ingenita eſt, quam non didicimus, accepimus, legimus, ſed ex natura ipſa arripuimus; & ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus; Si expectandum donec ſenſus illas poſſint excitare, quo jure Anima habuiſſe dicetur ingenitas? Pendent igitur Ideæ iſtiuſmodi a cauſa aliqua; & quia nequeunt non eſſe Imagines, ideoque vicariæ objectorum: his omninò excitabitur Anima. Ecquid illud a Pictoris mercede petitum? Pictura non eſt Imago mercedis, qua Pictor inducitur ad operandum: Perceptio eſt Imago objecti, quod movet per ſenſus Animam: & quia movet hoc, non illud objectum; Anima dicitur hoc, non illud intelligere. Ab his nemo erit, qui differentiam inter Ingenitas, & Factitias viderit.

11. Carteſium ſequantur, qui aſſequuntur, *Venerabile ſoli Sortiti ingenium, Divinorumque capaces.* Juven. Sat. 15. Indere Ideam non eſt dare facultatem erumpendi in varios actus; hæc enim data credenda eſt etiam reſpectu factitiarum: Sed eſt imprimere notam operi, per quam opus ideſt Anima reddatur hujus, illiuſque rei conſcia. Igitur aliud eſt opus; aliud nota: nam Artifex poſſet opus ſine nota dimittere: quî fuerit nota ab opere non diverſa? Opus ſemper eſt unum: notæ per Artificem impreſſæ tot ſunt, quot Ideæ ingeni-

genitæ; quæ erudientes Animam de Deo, de propria ſpiritalitate , de triangulo, non poſſunt eſſe unica ſingularis perceptio, ſed varii modi, uti tantus Doctor fatetur. Facultas pingendi Michaelem Archangelum, & Dæmonem coloribus exprimat, eadem facultas eſt: opus non eſt idem: Ideæ ſunt cogitandi modi, non ipſa poteſtas in modos erumpens: modos ingenitos debent oſtendere; & videre, falſiſſimum eſſe, Ideam Dei, quam Anima habet, eſſe ipſam Animam, nam ita dicendo nunc accipitur Anima nudè, nunc cum modo: & argumentationem ejuſmodi nec tolerat Philoſophia vel infantiſſima. Præterea nollem in Carteſio tam promptam credulitatem, qua perſuaſus eſt, ſe factum ad imaginem Dei per hoc præcisè, quod creatus eſt: nam reportare poſſumus innumera, creata non aliter quàm Anima noſtra eſt: ſed præter hanc, nullam aliam dixerimus creaturam factam ad Supremi Artificis imaginem. Demum Ingenita Idea Dei non eſt in me, niſi ſimilitudo, quam dico ad Deum: ſum enim opus cum nota: & Idea in nota ac ſimilitudine continetur: Quid erit Idea trianguli, & omnium, quorum voluerunt pariter Ingenitas? Ego percipiendo me ſimilem, debeo cognoſcere Deum, cujus ſum ſimilis, quia Imago nequit non ducere in cognitionem repreſentati. Quis unquam id expertus eſt? Luſit Carteſius: ut nondum pudeat, ludum incidere!

12. Craanenium placet iterum examinare: quamquam enim in Theoreticis Aſſertionibus attigimus, non laudabiliter procedere quantum ad noſtræ fidei dogmata; nihilominus arbitrati quidam ſunt, illa non ſatis eſſe, ut unuſquiſque ab eo, atque alio quovis ejuſdem ſceleris Præceptore ſibi caveat; propterea addo quidquid traho ex implicatiſſimis, quæ habet in diſſertatione de Hom. cap. 90. atque iiſdem ferè quibus ille verbis: *Ideæ ſunt Imagines quæ ſemper aliquid repreſentant: Imago enim non poteſt dari, quin ſit alicujus rei Imago. Sunt ſemina humanæ ſcientiæ; nec eſt in Hominis poteſtate eas augere: Hinc nemo poteſt ſibi dare novam cogitationem, ſed poteſt multiplices cogitationes combinare, qua in combinatione cogitationum multiplicium conſiſtit perfecta co-*

gni-

gnitio & ſcientia ſeu doctrina. Animæ facultates nudæ nullæ ſunt, ut enim omnis perfectio in Deo debet eſſe actu; ſic omnia, quæ in mente noſtra ſunt, pauca licet, actu eſſe debent. Modum conjunctionis Animæ cum corpore explicat cum Delaforge & tres opinatur modos: Per amorem, Per capacitatem agendi & patiendi a ſe mutuo; Per voluntatem. Hunc ultimum defendit, atque ita procedit: *Anima tantùm per voluntatem operatur in ſe determinationem. Deus toties exequitur ſe uno motus corporis, quoties Anima vult & imperat: & hoc ex bonitate qua uti voluit erga nos.* Paucis: Anima non afficitur motib. corporis, nec ipſum afficit: Sed Deus movet Animam prout ſunt, exiguntque motus corporis: Deus movet corpus pro Animæ nutu.

13. O fruſtra ſuſceptos labores! o ſpes attingendæ veritatis fallaces! o cogitationes inanes! Quid ineptius, quid infructuoſius, quid luctuoſius? Si nemo dare ſibi poteſt novam cogitationem, quid erit cognitio poſt combinationem ſeminum? Si Anima quidquid habet, habet actu, ſtatim ac facta; ipſum combinare ſemina eſſe nequit novum: quare, Doctrina quæcumque ſit oportet ab initio. Omnes Animæ donantur æquè ſeminibus, cur non omnes æquè combinant, ut æquè adipiſcantur doctrinam? Ipſe vires omnes intendi, ut combinando conſequerer veritatem, quam tradunt Adverſarii de Ideis, ſed fortaſſe neque ſemina Deus mihi ad talem veritatem indidit. Novimus experti pro cerebri & ætatis mutatione promptiùs, ac efficaciùs Animam arripere, judicare, inferre, retinere: unde colligemus, hæc unius Dei operatione ſuccedere? Unde accepit Craanen, Animam habere actu, quæ ipſa poteſt, ſicuti Deus: quando SS. Patres, ac Theologi omnes & docent, & credunt omninò contrarium? Modus ille per capacitatem agendi, & patiendi a ſe mutuò corpus & Animam, evincitur a Philoſophia conſiderato gaudio, vel triſtitia, vel amentia hypochondriaca: ſed his miſſis, eſt de fide: *Heus age reſponde*, dicam cum Perſio, *minimum eſt, quod ſcire laboro*, de Fide quid ſentis? Enimverò Viennenſe, & Lateranenſe Concilium definiverunt

verunt Animam Rationalem eſſe verè formam corporis humani per ſe & eſſentialiter: rejecerunt tanquam hereticum, qui contrà ſenſerit. Eſſe formam, intelligendum eſt uti ab formarum Patronis intelligitur: hi autem omnes omninó docent, formam ita penetrari cum materia, ut tangantur invicem, & conſtituant unicum principium operationum; ſeu verbis Conimbricenſium *Formam tradere ſe materiæ ipſam actuando, & perficiendo; viciſſimque materiam ſubjici formæ, excipiendo eam, fovendoque ita ut ex hoc mutuo complexu totum emergat.* Attenti: Verbum Divinum, de quo prædicamus: Homo factus eſt, & paſſus pro nobis: non ſatisfecit, quin perciperet ex corpore veros dolores ut Homo, & reapſe dixit, Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem: igitur ut Homo affectus eſt tormentis. Martyres invictè ſuſtinuere cruciatum, ideoque meritum gloriæ ſibi fecerunt: nec dubitabile eſt, exſaturatam, expletamque Venerem addere non parum ſimplici deſiderio. Num hæc putanda fieri per unum Deum, ut ipſe torqueat in corpore Animas, ſicuti extra corpus? minimè: Pergamus. Ex Apoſtolo ad Galatas: *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Quid vetat, ne accipiamus, ut ſonat: Hæc invicem adverſantur: cur arceſſendus Deus? quo Concilio, Sanctove Patre ducemur? quo experimento recantabimus? Ex Jacobo Apoſtolo: *Unuſquiſque tentatur a propria concupiſcentia abſtractus & illectus.* Unde eruam, concupiſcentia moveri Deum, non me? Spiritus libidinis invadens Animam reſiſtentem & contrà pugnantem, non eſt res, quam vult deliberatione ſua Anima; nonne Deus id tantummodo executurus eſt, quod Anima deliberat? num ſponte vim facit, ut bellum exſuſcitet? Sed de iſthac ſeductrice doctrina ſatis: aperuimus, ne eos, quibus ignota, deciperet, falleret, induceret: ſanè qui falſam non videt, excors; qui quum videt, decernit, impius.

14. Dixere Verſutiores, quod Deus creando Animas, concedit ſpecies ab omni corporea mole ſecretas, quibus

facultas cogitandi fiat cogitans: Et quantùm ad prima principia, cujuſmodi ſunt, Totum eſt majus ſua parte. Quodlibet vel eſt, vel non eſt. Et quantùm ad *eſſentias* rerum, atque ſpiritalia, Animam ut ſciat, nullo incitamento indigere: indigere tamen quadam levi excitatione ad veritates quaſdam, quæ perceptionum recta comparatione trahuntur. Palantes deinde volunt modò perceptiones activè a mente procedere; modò mentem non affici corporeis, quia ſpiritus eſt, & indiviſibilis: ideoque diſciplinas omnes eſſe Ingenitas & quorumdam corporalium affrictu effloreſcere, ac vigorari: modò perceptiones eſſe affectiones vitales, non actiones. Affectionem inter & Actionem illud eſſe diſcriminis arbitrantur; ut prima ſit ita propria ſubſtantiæ viventi, ut in hac recipi debeat, nec poſſit ab ullo principio extra illam produci: Altera nimirum Actio, a principio agente producatur: quare concludunt cum Purchotio Mentem humanam intelligendo pati, & extrinſecùs rerum Ideis informari.

15. Ergo quidquid intelligendo conſequi judicamus, accepimus, non labore comparamus? Ecquænam fuerit Platonica Reminiſcentia, contra quam diſputans Jeſuita De Benedictis *Catholica*, ait, *ſententia eſt ſcientiam dari, eamque de novo acquiri.* Sicui deſit viſus, aut auditus, nunquam de pictura, vel muſica ratiocinabitur; Præditus ejuſmodi organis per actuum frequentationem egregius fiet Pictor, aut Muſicus. Cur non dixerim omnem omninò Pictoriæ, Muſicæve diſciplinam miniſterio ſenſuum haberi? Siquem fugit hebreum Idioma, quid illum hebreus Præceptor docuerit? nihil. Judicare de reb. non poteſt, niſi per voces; fidem ipſam ex auditu, ſuadet Apoſtolus. Ut gratuler cum Adverſariis, eoſque ſecter, oſtendant, oportet, ſe aliqua diſciplina aliquo ſaltem modo inſtructos, & non per ſenſus.

16. Ergo intelligere poſſumus per cognitionem ab alio provenientem: Sed cur non etiam loqui per voces ab alio prolatas? De Impiis habemus Sapien. 2. *Dixerunt apud ſe cogitantes non rectè*: ergo, qui cogitat, dicit aliquid apud ſe: qui autem dicit, agit. *Nihil agimus*; ait, S. Auguſt. 9. de

Tri-

Trinit. cap. 7. *per membra corporis, in factis; quod non verbo apud nos intùs edito prævenimus: nemo enim volens, aliquid facit, quod non in corde ſuo priùs dixerit.*

17. Ergo Anima informatur imaginib. exprimentibus objecta: ſed informari, valet, percipere: cur non dicenda percepiſſe omnia a ſui creatione, & apertiſſimè quidem? *Ogni Idea fa ſapere qualche coſa*, inquit Regnavult: cur habentes omnem rerum omnium, non de omnibus ſcient? Afficitur ſine impedimento dum informatur: percipiat igitur ſine obſcuritate, ac fallacia. Quando non bene percipit, nondum perfectè Anima recepit: ubinam erant ſubjectatæ & quomodò meliùs recipiuntur? Suntne conſcii tot Idearum, qui eas in ſe eſſe deprædicant? In me contentioſiùs illas inveſtigatus, nihil quidquam tale inveniſſe commemini. Habeo ex fide certiſſimum, dari in Chriſtianis ſignaculum baptiſmatis; in Sacerdotibus ordinis characterem: atque hæc procul dubio Animam afficere; Sed nemo unus conſcientiam habet de ſignaculo, aut charactere, ut id affirmet, quòd affectus eſt. Unde habent, Adverſarii, Ideas eo tantúm, quòd recipiuntur, facere intelligentem?

18. Ergo Imagines fiunt a Deo, a quo Animæ conceduntur. Cur hæc organo deturbato non benè procedit, & rectam exhibitionem phantaſmatum ſequitur laudabilis perceptio? atque id in omnibus aut principiis, aut collatione comparatis.

19. Ergo Anima quia ſpiritalis non percellitur corporeis: Cur Ideæ ſpiritales percelluntur phantaſmatibus, ut non precariò interpoſita ſit Titillatio, Excitatio, Affrictus? Unde has Ideas, non illas percellit hoc objectum, ſeu cur ad hoc intelligendum; non ad illud excitatur, quando jam æquè habet utriuſque Ideas? Inveniet ne phantaſma imaginem ſui, ad hanc accedet, & ſubjectabitur in Anima? Quæ res, pro ſancte Juppiter, eſt dicta major, quæ verior, quæ commendatior hominum memoriæ ſempiternæ?

20. Ergo liberum Arbitrium nullum eſt: porrò ex Angelico cum Patribus omnibus, ac Theologis habemus hæc: *Radix libertatis eſt voluntas ſicuti ſubjectum, ſed ſicut cauſa eſt*

ratio: *ex hoc enim voluntas liberè poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni.* Hinc Amentes, & Infantes agere ſponte, ſed non liberè, dicuntur, quod iis deſit laudabilis cognitio. Nonne Voluntas amat præcognitum? quid hoc eſt? amat objectum per informantem Ideam oblatum: oblatio non eſt in noſtra poteſtate, quia non applicamus nos objectis: ergo voluntas nequit refugere, nequit enim oblatum abigere; & nequit Intellectum ad examinanda iterum objecta compellere. Nonne attentio eſt conatus voluntatis impellentis Intellectum in conſiderationem alicujus objecti retrahendo illum ab aliorum contemplatione, ut unuſquiſque poteſt in ſe ipſo experiri? Ne multa: Intellectum agere deducitur a Concilio Tridentino, ubi damnat Aſſerentes, liberum Hominis arbitrium merè paſſivè ſe habere in juſtificatione: nam hoc arbitrium non eſt ſine libero judicio; ita Manſtrius in phyſicis diſp. 6. quæſt. 2. artic 1. Conimbricenſes de Anima cap. 8. quæſt. p. Averſa, Caſtiglionius, & omnes omninò Scholaſtici.

21. Sed mittamus, quæ a Purchotio negari tanquam aliena poſſunt: ejus propria, magiſque domeſtica commemoremus. In parte prima Ethicæ cap. 1. ad illud Apoſtoli: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* habet; *Poteſt voluntas noſtra corporeis motibus, qui nunc poſt humanæ naturæ lapſum nobis invitis in nobis excitantur, non obtemperare, & aſſenſum ſuſtinere*; nonne poteſt etiam obtemperare, ut dicatur libera? nonne Voluntas eſt ipſa ſpiritalis Anima? cur excitatis motibus affici prædicatur? ut percipiat, nequit affici materiali phantaſmate; poteſt verò ut peccet, vel diſſentiendo mereatur! In metaph. parte 2. ſect. 3. cap. 5. ſic loquitur: *Voluntas eſt quid reipſa idem ac facultas percipiens, nempe Intellectus*: quare putat judicium eſſe actum voluntatis. Sed eſt de fide, voluntatem agere, cur non dicetur agere dum percipit? In logicis docet, quod objectum logicæ ſunt mentis cogitationes, quatenus ad verum dirigendæ: num licet admittere diſciplinam, quæ reget diſcipulum ad veritatem, & diſcipulus omninò paſſivè ſe habeat?

beat? Si docetur, definitionem efformandam ex genere & differentia; & ipſi non conceſſa eſt Idea generis, unde habebit, ut directus illam faciat: unde habebit eſſe rectam, ſi non active redierit ad conferendam illam cum præceptis? Num dirigere ad verum, eſt dirigere ad has admittendas Ideas, non illas? Præter præcepta, quæ dirigunt, quis eſſet executor operis? Hoc opus in logicis, cur dicitur Actio ſeu modus mentis operantis cum conformabilitate ad præcepta; in metaphyſicis non Actio, ſed Affectio? Sed conſtet in levitate ſua, quia Vertumnis natus iniquiſſimis videtur hic Philoſophus: Et qui non aut ſtupidi, aut pertinaces, aut invidi malunt eſſe, quàm veri patientes & amatores, ediſcant de rebus hujuſmodi tacere potiùs, quàm deſipere; univerſarum gentium conſilia ſequi, quàm peculiaribus, quaſi liciis inexplicabilibus implicari. Sed adverſus, quæ huc uſque reteximus, Adverſarios audiamus, ad tertiam propoſitæ quæſtionis partem conficiendam.

32. Moventur quidam his: Si non daretur ingenita Idea Dei, nullus indicari motus poſſet, aut figura, per quam in ejus cognitionem veniremus: quamobrem inculpatè non cognoſceremus. Licebitne ſpeciem venerandi Senis nobiſmet offerre? non ita: falſa enim erunt judicia huic Ideæ contraria, nempe carere membris, immenſum eſſe, æternum, omnipotentem, inviſibilem. Verùm ſine ſummæ ſtultitiæ nota ignorare Deum nemo poteſt. Stulti enim vocantur ab Apoſtolo, qui operibus attendentes, non aſſequuntur, quis eſt Artifex: Et a Propheta, Inſipiens in corde ſuo dixit, non eſt Deus. Hinc eruendum, & non dari Ideam ingenitam; hæc enim faceret conſcientiam, & urgeret ad aſſenſum. Et licet non datur, quod Deum ſicuti eſt, repreſentet; tamen datur, unde quoquo modo ad eum attingendum gradiamur; ſecus injuria objurgaret Apoſtolus. S. Auguſtinus nondum Catholicus Deum reputavit eſſe corpus lucidum, & ſe fruſtum de illo. En verba lib. 4. confeſſ. cap. 16. num. 4. *Quid ergo mihi hoc prodeſſat putanti quod tu Domine Deus meus veritas corpus eſſes lucidum & immenſum, & Ego fruſtum*

ac illo corpore? Ut de aliis taceam, opinantibus Cœlum, Solem, Aerem: num illis, num Auguſtino ingenita Idea Dei non fuit, non impreſſa Artificis nota, non Anima ad ſimilitudinem facta? an ita eorum ingenium hebes, ut ipſa conceſſa, & recepta imago non concuſſerit? Ex Gloſſa ad illud Exodi 32. apud Angelicum, *non videbit me homo & vivet:* habemus: *Quamdiù hìc mortaliter vivitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt; ſed per ipſam Naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt.* Plurima leguntur apud Scripturas Sanctas, quibus per corpoream veſtem Deus exprimitur. Lux inacceſſibilis, Gygas, qui coronatur iride; Qui ambulat ſuper pennas ventorum. Falſa ſunt, & judicio corriguntur, quia Immenſitas, Simplicitas, Inviſibilitas alio prorſus diverſo ratiocinio deducuntur. Acquieſco in San. Damaſceno, cujus ſunt: *De Deo nihil aliud ſciri poteſt, niſi quod Incomprehenſibilis eſt.* Et in S. Auguſtino, cujus hæc: *Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt. Infinitus, Immenſus, & ſoli ſibi tantus, quantus eſt, notus: nobis veró ad intellectum pectus anguſtum eſt, & ideo ſic eum dignè æſtimamus, quum inæſtimabilem dicimus.* Nec propterea nihil aliud conciperemus, audita voce *Deus*, quam quatuor literas, & impius non eſſet, qui ſalutari Deus vellet; quod nullam infiniti, ſimplicis, optimi ſpeciem veram, & Ideam habemus: porro vox Deus ſupponit pro re, quæ tamen confuſiſſimè attingitur, & per viſibilia ad quæ inviſibilia ſunt, rapimur. *Non enim revera in ſtrepitu iſtarum duarum ſillabarum,* ait S. Auguſtinus de Doctr. chriſt. cap. 6. *Ipſe cognoſcitur: ſed tamen omnes latinæ linguæ Socios, quum aures eorum, ſonus iſte tetigerit, movet ad excogitandam quamdam excellentiſſimam, immortalemque Naturam* Sed cogitandam ſine ſpecie propria? ita prorſus. Cæcus natus, ad ignem perſæpè ductus, ſentiens calefieri, agnoſcit eſſe aliquod, a quo calefit; appellat ignem, quia ſic appellari audivit; concludit exiſtere; & nullam propriam habet illius imaginem. Cur cognitum ratiocinio, & pluribus mediis quodammodo intellectum, non poterit Deum appellare? Non-

ne

ne auditur Vox Trinitas? num habeat Ideam Trinitatis ingenitam?

23. Alii ſtudent evincere, ut ſaltem Idea cogitationis evulgetur Ingenerata: impoſſibile enim eſt illam imaginari, & formare veluti Idolum. Ecquænam affirmationis *Eſt*, & Negetionis *non eſt*, depingi poſſunt in Cerebro imagines? Qui judicat terram eſſe rotundam, & qui judicat eam non eſſe rotundam: uterque eaſdem in imaginatione res depictas habet: Terram ſcilicet, & rotunditatem; ſed Affirmatio non habet imaginem, & multo minús Negatio. Miror, vix eſt qui cum ſuo pari conſentiat, quantum ad explicandum quid ſit Idea: & nemo prorſus ex Adverſariis auſus eſt oſtendere; tamen volunt Imaginem ejus eſſe innatam! Nec Ipſi innatam, nec Ego acquiſitam explicare poſſum: quid propterea? Sed concipiatur ut imago objecti in oculo: & Aſſenſus ſit modus tendendi in amplexum, Diſſenſus refugiendi: num hæc nequeunt intelligi? Inviſibilia per viſibilia debemus attingere.

24. Retrahit quoſdam a noſtra opinione univerſalium notio, quæ attribuenda non videtur particularibus motibus: Quodlibet eſt, vel non eſt: omne totum eſt majus ſua parte, a quo motu repetetur? Et quum experiamur quotidie cogitationes eſſe obſcuriores, quo plus commercii habent cum corpore; & contrà, fieri manifeſtiores in Ectaſi & Raptu; ſentiendum arbitrantur ob evidentiam primarum notionum, his nullam eſſe cum corpore cognationem. Quid ſi negatur, non poſſe à particularibus univerſim haberi affirmans judicium? everſa eſt argumentationis machina. *Senſus ſingularia percipit, & memoriæ committit*, ait Facciolatus, & ſequitur reliquos omnes præter Adverſarios, *deinde ratio ea componit & comparat, unde oritur univerſale illud, quod Axioma & commune cognoſcendi principium dicitur*: Et Daniel Huetius in Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ cap. 3. n. 9. p. 96. *Univerſales Ideæ exceptæ ſunt a ſingularibus, quum Animus in rebus multis idem quidpiam animadvertens excerpit illud a multis, in quibus fuerat diſperſum & in unum colligit.* Qua-

tuor ſanè modis procedere videtur Anima, ut objecta percipiat. *Incurſione* quum rei imago per ſenſum venit ad Animam in cerebro percellendam. *Proportione*, quum imago percepta minuitur, aut amplificatur, veluti quando Homo ad gygantem, vel pygmeum reducitur. *Similitudine*, quum aliam imaginem fingimus. *Compoſitione*, quum duas in unam copulamus: quapropter non ſolummodo cognoſcimus, quod Senſus arripiunt, ſed etiam inviſibilia per viſibilia. Cur non conſtat a Pueris inditas eſſe Ideas, quum neque primas notiones teneant? Perceptio eſt obſcurior, dum commercium nimium eſt cum corporibus, quia vis Animæ non applicatur; non autem quia abſolutè non percellitur corporeis.

25. Nec audiendi ſunt, qui volunt Ingenitam doloris Ideam, quia nulla dolor imagine repreſentatur. Offerant ipſi exemplum, quo hanc ipſam doloris Ideam concipiam: nonne Idea doloris & gaudii, aut etiam Dei ſunt diverſæ? dent ſub quâ mihi proponam dolorem: vel redeant ad ſe, ipſamque contemplentur, & mihi exponant. Interim mecum ſic: Si dolere dicam Adverſarios, quod erraſſe, fateri coguntur: proponam mihi eo corripi diſſenſu, quo ego expertus aliàs dolui. Qui nunqum paſſus eſt hemicraniam, vix dolentis miſeretur: Et Pueri neſcientes, quàm gravis ſit retractatio, neque ruborem a verecundia contrahunt dum retractant. dolere igitur concipiatur ut motus naturali temperamento contrarius, unde eſt diſſenſus in Anima. Audite S. Auguſtinum lib. 12. Geneſ. a lit. cap. 24. *Momento eodem, quo corpus ſenſu corporis tangitur fit etiam in animo tale aliquid; non quod hoc ſit; ſed quod ſimile ſit; quod ſi non fieret, nec ſenſus ille eſſet, neque enim corpus ſentit, ſed Anima per corpus, quo velut nuntio utitur, ad formandum in ſe ipſa, quod extrinſecus nuntiatur.*

26. Eritne qui volet, non aliud veritatis eſſe Criterium, ut loquimur, quàm Ideas ab fideliſſimo Deo nobis conceſſas? Si non intelligeremus, inquiet, quidquam, nulla via poſſemus ad finem, æternam ſcilicet felicitatem venire. Ipſa hæc intelligendi poteſtas fruſtrà contigeret; niſi haberet in quod

ſe

ſe converteret, ut falſum a vero ſepararet; certis igitur quibuſdam Ideis claris donari oportuit, ad quas referamus noſmetipſos, ut verum aſſecutos reputemus: quare ſtabit illud; *Quidquid in Idea clara & diſtincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certiſſimè poteſt affirmari.* Et ſtabit ſané vel ut primum veritatis principium; vel ut immediatè deductum ab alio *Cogito ergo ſum.* Hoc enim nihil eſſe poteſt certius, firmius, prius cognitum. Habeo taliæ differentem; & quamquam nolo in diſputationem longè aliam, & implicatiorem excurrere; dico tamen breviter & quæ arbitror utilia, ut veritatem, quantumlibet, aſſequamini; & quæ Ideas per Deum unum partas confutent. Qui facultatem intelligendi, appetendique largitus eſt, loquitur hæc per Job 8. (*Poſuit in viſceribus Hominis ſapientiam.*) Et per Apoſt. 2. ad Rom. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum:* propterea S. Auguſtinus cap. 48. ſuper Joan. *Legem naturalem Homines habent in corde defixam; quod Tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Ab his negari poſſe non judico, ineſſe nobis & veritatis, & morum criterium ſeu Normam; ad quam ratiocinemur, & vivamus. Velimne igitur tale criterium Logicam, quum Naturalem, tum Acquiſitam? ita ſanè: Logica eſt quæ docet ſcire, *& ad hoc inventa eſt,* inquit S. Auguſtinus *ut ratio ſe defenderet ab omni falſitatis irreptione.* Cur verum non erit, quidquid Logicæ & Natura duce, & Gentium omnium conſenſione comprobatæ reſpondet? Cur non illud, quod reſpondet lumini, de quo dicitur: ſignatum eſt ſuper nos? Nonne aliud eſt lex naturalis, aliud actus humani eliciti ad legem? quare lex verorum actuum erunt ipſi actus veri, non lumen, aut vis a Deo conceſſa, aut labore a tot ſæculis parta nobis, perfectaque? Si nobis, & omnibus quidem æquè Dei fidelitate concederentur Ideæ claræ, & diſtinctæ, una omnium eſſet mens, unum conſilium: quod nemini non eſt abſonum, & improbandum. Do enimvero illud: *Cogito, ergo*

ergo ſum: exemplum eſſe commendabilis ratiocinii: & laudo Arnaldum par. 4. cap. 1. pag. 275. aſſerentem (*Omnes cogitationes pro veris ac certis habeantur, quæ inſtar hujus claræ, & diſtinctæ deprehenduntur.*) Sed poſſe vos duci ad clarè & diſtinctè terminos apprehendendos, aut ſecundum illud, claros, diſtinctèque perceptos, opinari; aperta conſtantique fronte diffiteor. *Cogito* eſt integra propoſitio, quæ valet: *Sum res cogitans*: continetque virtualiter conſecutionem, *Ergo exiſto*: integer enim ſyllogiſmus eſt: Sum res cogitans: res cogitans operatur, ideoque exiſtit, ergo ſum res exiſtens. Expendamus claritatem terminorum: Si vera ſunt, quæ de Identitate habemus: ſum res cogitans, non aliter enunciari poteſt, quàm ſum res habens cogitationem: aliter dicendum, ſum cogitatio: ubinam Idea clara Principii cogitantis, & operis, nimirum cogitationis? Interrogo me: Qui operatur eſtne Voluntas, an Intellectus? an Subſtantia, an Accidens? Si me converto ad Angelicum Thomam, illique credo fatenti ob Ideam ſibi claram: reſpondeo Intellectum intelligere, non Voluntatem: & Principium unde immediatè fluit opus, eſſe accidens contradiſtinctum ab Anima & a Voluntate: Modo fermè eodem philoſophor de opere. Si audiam Carteſium, immanè diſtabo: Secundùm utrumque Doctorem, rectè habet, Cogito ergo ſum; imagines terminorum non æquè claræ in utroque. Auditores mei, ſi norma non eſt omnibus una, nunquam una eſſe poterit claritas: ſi non æqua attentio, & examen, & actio ſenſuum, ejuſdemque generis alia eòdem pertinentia, nunquam conveniet. Quò excogitare Ideas divinitùs impreſſas? Hoc eſt habere claram & diſtinctam Ideam Animæ, videre imaginem ſubſtantiæ cogitantis ut ſit formaliter ſua ſibi cogitatio? Hoc habere claram, & diſtinctam de corpore, & de ſpatio per corpus occupato, ut quæcumque trina dimenſio ſit poſitivum quid; & ſpatium vaſis ſit aqua, dum plenum eſt aqua; aer, dum aere; vinum dum vino? Huc recidit, & in ejuſmodi plurima Idearum ingenitarum claritas! Sed ſperandum ſanè, ut aliter jam nunc ſentiant; & duce Carteſio, cujus ſunt ***Multa prius ut omninò***

certa & manifeſta admiſi, quæ tamen poſtea dubia eſſe deprehendi; dicant, quæ ab hoc acceperunt, putaſſe quondam evidentia, modò eſſe falſa. Nonne ſpatium, quia locus, eſſe debet Immobile? quî fiet, ut uni alterum in vaſe ſuccedat? quî corpus, & locus erunt idem? Quid, quæſo, quod Anima Rationalis eſſe nequit vivens per poteſtatem ſe movendi ob intrinſeco; & differre a mortuo ut Homo quieſcens a lapide: & reputari in arbore Porphirii ſicut Animal quod tale certò eſt non per ſenſum, ſed per ſentiendi poteſtatem? Quid quod neceſſitate ad intelligendum compulſa, quum receptis Ideis nequeat non intelligere, eſſe debet ſua ſibi intellectio? Erit ſemper cum effectu, non tamen erit ipſe effectus. Verùm redeamus ad propoſitum; & lætemur videntes in irritum non caſuram ſpem noſtram, quoniam Purchotius in methaphyſic. habet (*unde quod diligenter notandum eſt, primum certitudinis omnis principium aliqua ratione in ſenſu intimo poſitum eſt;*) Ut ſinceras voces etiam ab Invitis veritas extrahit! Quid ſenſus intimus? Sub ferula merear pallere magiſtra, ſi non id, quod pro moribus dicitur Conſcientia, eſt pro veritate lumen ſuper nos ſignatum! Sitne hoc ipſum lumen Præſentia majeſtatis Divinæ, quæ in tenebris noſtris lucens, operatur ſic, ut mentes noſtræ non videant ipſam, ſed videant aliquid per ipſam; an habitus creatus & Animæ ſtatim productæ conceſſus, ut per illum promptus ſit Intellectus ad notiſſima; ad ea nimirum, quib. per ſenſum ſubeuntibus vim ſibi fieri ſentit, ut admittat; exiſtimo non decidendum. Ut rem meam confeciſſe videar, ſat eſt, Ideas Ingenitas non evinci neceſſarias ob neceſſarium veritatis criterium. Hoc ut non diſputandi libidini, ſed utilitati vacem; mihi, vobiſque ſtatuo Logicam, qualem deſcripſi, & veram ab putata evidentia ſeparo, determinoque pro novo diligentiùs conquiſito medio; novo, conſtantique experimento, ſenſu altero alteri auxiliante.

27. Siquis vero fieri non potuiſſe, judicet, pacta ex conſenſione Hominum ad efformandas in nobis quaſdam Ideas ab auditis vocibus, ſi non fuiſſent quædam Ideæ ingenitæ re-

rerum aperiendarum: porro impoſſibile eſt etiam cum pacto prævio Cœcum docere, quid ſibi velint hæc vocabula *Rubrum*, *Viride*. Hic mecum admittat, Deum infudiſſe idioma Adamo, a quo rebus nomina impoſita ſunt: aliter voce non accepta, futurus erat ſemper mutus. Ab idiomate Adami facile fuit alia vocabula trahere, & inventis addere, ut aliæ res appellarentur, Poſteris primorum conſenſum adprobantibus. Sed Idioma, fortaſſis hebraicum, unicum eſſe potuit ad Turrim Babilonicam extructam; ubi & contra voluntatem quidem ædificantium, ſecùs nulla fuiſſet confuſio, conceſſit Deus notitiam ſeptuaginta duarum linguarum. Secundaria idiomata facta maximam partem ſunt ex corruptione primorum, & uſu firmata, ac traducta. Quorſum pacta & ingenitæ, Ideæ? Cœcus non poteſt admittere pactum, quo affirmet, objectum eſſe rubrum, quia non poteſt percelli per illam potentiam, per quam debet judicare de colore; Intellectus admittit, quia percellitur, creditque objectum repreſentatum eſſe tale, quando definitis motibus impetitur. Reſtarent plurima SS. Patrum teſtimonia, quæ fulcire videntur Adverſarios; nil tale tamen docent, ſed loquuntur vel de Synderiſi ſeu vi rationali; vel de majori, minorive habilitate facultatis; vel de neceſſitate cognoſcendi Creatorem ex Creaturis. Sed jam ſatis multa de quæſtione; extra quæſtionem nimis fortaſſe multa: quid ſupereſt, niſi ut orem, obteſterque Vos, Judices, aut Auditores, ut eam ſententiam dicatis, quam ſincerum, ac diligens examen expoſtulat? Audete quod ſentitis; ſentite, quod veſtrum Poſteris denudet ingenium.

FINIS.

Majores majora canant, mihi parva locuto
Sufficit in veſtras ſæpè redire manus.
Martial. lib. 9. epigr. 1. ad Avitum.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

A

ABſceſſus ad crura in Pulmoniis, qui boni: parte 1. fol. 18. n. 3. Salutares an per artem fol. 29. num. 4. Bonorum conditiones fol. 31. n. 3.

Acidulæ Paternionenſes p. 1. fol. 9.

Acidum, & Alkali an generent febres malignas p. 2. fol. 20. Quanta pariant ex Martiano ibid.

Adoleſcentibus quod arridet, non continuó verum eſt p. 1. f. 3. n. 2.

Æger majoris faciendus, quàm Auctor Medicus p. 1. fol. 4. n. 3. An ſtatera ſuſpendendus p. 2. fol. 7. An illi occultanda gravia pericula p. 1. fol. 46. n. 13.

Alvi profluvium Pleuriticorum p. 1. fol. 5. & ſequent.

Ammoniacum Gummi an debellet Aſciten p. 1. fol. 37. num. 3.

Angeli quomodo dimicent p. 2. fol. 50.

Anima Rationalis an corporeis afficiatur p. 2. fol. 73. n. 13.

Aphonia quomodo fiat p. 2. fol. 96. n. 7.

Aphoriſmi memoriæ demandati non faciunt Medicum p. 1. fol. 4. n. 4.

Apoplexiæ cauſſæ & curatio ex Baglivo, & Dureto p. 2. fol. 38. Apopl. an ſemper a laxitate fol. 40. ibid.

Aquæ caſtigatio, quæ p. 1. fol. 74. & ſequent. Commendabilis an decoquenda ibid. f. 76. An quæ citò caleſit & refrigeratur, optima ibid. f. 75. n. 3. Aquæ indicia in Aſcite p. 1. fol. 38. n. 5.

Aſcites an juvetur acidulis p. 1. fol. 10. n. 2. An ſalivatione mercuriali ibid. fol. 34.

Auctores, qui nocent p. 1. fol. 2. n. 1.

Audacia nimia facit nomen p. 1. fol. 59. n. 4.

Ba

B

BAglivus an refellatur p. 1. f. 97. n. 8.
Balneum calidum aquarum dulcium an prohibeat Catharticum p. 1. fol. 100.
Baſiliſcus, qui fabuloſus p. 2. fol. 58. n. 18.

C

CAlli pedum quibus ex cauſſis p. 2. fol. 15.
Canon quid p. 2. fol. 37. Canones Baglivi quo ſpectent ibid. fol. 43.
Catharticum an in balneo p. 1. fol. 100.
Cerebrum an evacuetur per os criboſum in nares p. 1. fol. 97. n. 8. per aures, & inde ad nares. ibid.
Chalybeata quomodo aperiant p. 1. fol. 90. & p. 2. fol. 36.
Cibi an ordine capiendi p. 2. fol. 26.
Clyſteres in apoplexiam qua copia eſſe debent p. 2. fol. 41.
Coctio, & cruditas humorum p. 2. fol. 29.
Convulſio, & Apoplexia quomodo differant. p. 2. fol. 40.
Credulitas an obſit Medicis p. 1. fol. 77.
Criterium veritatis p. 2. fol. 80. n. 26.
Cucumeris Aſinini Succus in Icterum fol. 96. p. 1. n. 8. & 9.

D

DÆmones an ſint & ubi p. 2. fol. 45. n. 2. An veraces aliquando: ibid. fol. 40. n. 4. An cogi queant, ut obediant. ibid. fol. 52. n. 9.
Dentes quid indicent p. 2. fol. 14.
Deus quomodo a Nobis Viatoribus cognoſcatur p. 2. fol. 78. num. 22.
Devotus quinam p. 2. fol. 58. n. 19.
Diaphoreticum ante vomitorium p. 1. fol. 81. n. 5.
Digeſtio, & coctio p. 2. fol. 28.
Diuretica vehementia in obſtructiones viſcerum p. 2. f. 24.
Documenta robur habent ab Auctoribus p. 1. f. 15.
Dyſentericis an conveniat rhabarbarum p. 2. f. 42.

Ener-

E

ENergumeni an dentur p. 2. fol. 51.
Errores Præceptorum detegendi p. 1. fol. 67.
Evacuationes an ſimul nimiæ p. 2. fol. 31.
Extremis morbis quid extrema remedia p. 1. fol. 65. n. 12.

F

FAſcinum quld p. 2. fol. 53. n. 11. Naturale quis admittat ibid. fol. 56. n. 16. & ſeq.
Fibra in chronicis an ſemper laxa, ut indigeat aromaticis p. 2. fol. 21.
Fiducia nimia cujus propria p. 1. fol. 78.
Fluor albus quando gallicus; & an ſemper primúm ab utero p. 1. fol. 130.
Fœnum quantæ virtutis p. 1. fol. 82.
Formulas præſcribere ut diſtet a vera Medicina p. 1. f. 82.
Franciſco Rizzari quid ex Teſtudine aquatili p. 2. f. 55.

G

GAlenicorum doctrina theoretica, quæ ex Baglivo p. 2. fol. 11. Ex eodem, quæ praxis ibid. Galeni Dœmonium ibid. f. 48. n. 6.
Genius quid p. 2. fol. 47. quæ præſtare creditus in Iudis fol. 49. n. 7.
Gummi Ammoniacum in Aſciten p. 1. fol. 37. n. 3

H

HEmorrhoides an arte provocandæ p. 1. fol. 27. n. 3.
Hippocrates, qui pro Sanctorii judicio p. 1. fol. 3. n. 2. pro judicio Fidelis ibid. fol: 4.
Hydatides quid p. 1. fol. 36. n. 3.
Hydrops ab eliquatis humoribus, ejuſque cura p. 1. fol. 36. n. 2. An receſſu copulationis canalium fol. 37. n. 4. An ſitis ſemper comes ſit fol. 39. n. 6. Salivatio an prodeſſe poſſit fol. 41. n. 8. Indicia ruptorum vaſorum fol. 45. n. 12.
Hypochondriaci an balneo leventur, & quomodo p. 1. fol. 102. num. 3.

I

ICterus an retrocedat & quomodo p. 1. fol. 95. a num. 4. An ab acido fol. 99. n. 10.
Idea quid p. 2. fol. 64. num. 2. & ſeq. Ingenitæ, quæ fol. 69. num. 9. ibid.
Iliaca Paſſio an confundatur cum Volvulo p. 1. fol. 61. num. 7, & ſeq.
Impoſtorum malitia p. 2. fol. 60.
Incantatio quid p. 2. fol. 53.
Indicia aquæ in abdomine p. 1. fol. 38. n. 5.
Indicationes irritandi ſolidum, & laxandi liquidum an contrariæ p. 2. fol. 24.
Infirmari cum Infirmis quò p. 1. fol. 92.
Intus ad extra bonum quando p. 1. fol. 70. n. 6.

L

LAbor alienus non deſpiciendus p. 1. fol. 129.
Lac quid ad mores p. 1. fol. 105. & ſeq. Quibus opponendum morbis fol. 108. n. 4. & ſeq. Lactea dieta fol. 114. n. 10. An Phthiſicos juvet fol. 116. n. 13. de ejus uſu quid 119.
Lactantii Firmiani conſilium p. 1. f. 2. n. 1.
Larvæ ubi fuerunt infeliciter mortui p. 2. f. 51.
Laxativa extrinſecùs in hydropem quid p. 1. f. 37. n. 3.
Librorum fama unde p. 2. fol. 23.
Logica an criterium veritatis p. 2. fol. 81. n. 26.
Lues Medicorum quæ p. 1. fol. 73.

M

MAgus an imperet Dœmoni p. 2. fol. 51.
Maritis convaleſcentibus quando concedenda Venus p. 1. f. 129., & ſuperioribus.
Marrhubii ſuccus in Icterum p. 1. fol. 96.
Mechanice an Medico neceſſaria p. 2. fol. 22. & p. 1. fol. 131. num. 5.
Medicamenta temporum vicibus obnoxia p. 1. f. 12. Varia an commiſcenda fol. 82.

Medicus: An debellare omnes morbos poſſit p. 1. fol. 28. An quod ſalubriter operatur natura f. 26. Moroſioris methodus f. 56. Audacioris 57. Cupedis 58. Ejus ornatus fol. 85. Officium fol. 24. n. 1.
Mercurius ad ſalivationem an proſit Aſciticis p. 1. fol. 41. n. 8. Dulcis cum catharticis an ſalivationem moveat ibid. fol. 83. n. 6. Vivus an Volvulo & quando ibid. fol. 63. a num. 9.
Methodus medendi eſſe debet unicuique conſtituta p. 1. fol. 4. Juniorum propria ibid. fol. 25. Varia erit donec Medici, & Ægrotantes ibid. fol. 59. n. 4.
Moderni, qui diſputant mathematicè p. 2. fol. 23.
Morbus an cognitus curetur p. 1. fol. 25. an omnis acutus a criſpitudine, & ariditate p. 2. fol. 21. Æſtate unde frequentior ibid. fol. 9.
Mores an a lacte p. 1. fol. 105.
Mors naturalis quomodo p. 2. fol. 16. Ejus præſidium ibid.

N

NAtura movens ſudorem ſimul, & diarrhæam an imitanda p. 1. fol. 83. n. 7.
Nitrum recenter a terra effoſſa erumpens an laudandum p. 2. fol. 34.

O

OBſtructio quid p. 2. fol. 36. & 37.
Occaſio in Medicina p. 1. fol. 34.

P

PAnis in carnem converſio per Dęmonem p. 2. fol. 54.
Paracenteſis p. 1. fol. 42. n. 9.
Parotides quid indicent, & quomodo curandę p. 1. fol. 31.
Paſſio Animi quomodo curanda p. 2. fol. 4. & 5.
Petechiæ cujus ſanguinis argumentum p. 1. fol. 70. num. 7. an ament Catharticum ibid. fol. 68. n. 4.
Peſtis an timorem faciendo noceat p. 2. fol. 5.

Phar-

Pharmacum an cum cibis p. 1. fol. 80. An ſudatoria cum Purgativis ibid.
Philtrum p. 2. fol. 55. n. 14. & fol. 53. n. 11.
Phlebetomia ad hydropem ſiccum ex Baglivo: quibus prohibeatur p. 2. fol. 35. & 36.
Phrenitidis urina, & Curatio ex Dureto, & Baglivo p. 2. fol. 38.
Phthiſicis an lac dandum p. 1. fol. 117. n. 13.
Pinguefacere an idem quod Craſſare p. 1. fol. 89. n. 3.
Pleuriticorum ſputum quando expectandum p. 1. fol. 20. An ſolum feliciter curet ibid. n. 5.
Poetæ per fabulas nos docent p. 1. fol. 30.
Præceptoris errores aperiendi p. 1. fol. 67.
Profeſſioni quid perniciosſum p. 1. fol. 1.
Pſyllorum virtus unde p. 2. fol. 57.
Pupilla multiplex Mulierum p. 2. fol. 56. n. 16.
Purgatoria dum uſus eſt quinquinæ p. 2. fol. 30.
Pythagoreorum ſententia p. 1. f. 2.

Q

QUartana quare in hydropem p. 1. fol. 38. n. 4.
Quinquinæ uſus an requirat interpoſitum catharticum p. 2. fol. 30.

R

REpletio nimia an ſomnum admittat p. 2. fol. 18.
Rhabarbarum toſtum an dyſenteriæ p. 2. fol. 42.
Rhetoriſci ut peccant p. 1. fol. 83.

S

SAnctorius an Galenicus nimium ſubtilis p. 2. fol. 12.
Sanguis menſtruus an materia philtri p. 2. f. 55. n. 14.
Salſa an Hydropicis ad aquam abſumendam p. 1. f. 4. n. 6.
Salſaparilla an propinanda ſine medulla p. 1. fol. 88.
Scabies unde & quomodo curanda p. 1. fol. 47.
Secundæ ſi non procedant quid p. 1. fol. 104. n. 6.

Se-

Senectus quomodo p. 2. fol. 16.
Senſus quid attingat p. 2. fol. 79. n. 14.
Sententiarum contrarietas an noxia p. 1. fol. 66.
Senum invidia p. 1. fol. 91.
Sibyllæ quænam Mulieres p. 2. fol. 46.
Socratis Dœmonium p. 2. fol. 47. n. 5.
Sol hyeme obliqua preſſione minùs ferit p. 2. fol. 27.
Sputum Pleuriticorum qua cauſſa impeditur p. 1. f. 16.
Statica Sanctorii quò p. 2. f. 19. & 32. & 5. & 18.
Stercora an vomantur p. 1. fol. 62. n. 8.
Stimulus in aploplecticis an illico maximus p. 2. f. 42.
Stryges an ſint p. 2. fol. 52. n. 10.
Sudor an fęlicius prodeat poſt fęcum exturbationem p. 1. fol. 84.
Sulphur nimium etiam extrinſecùs, quæ pariat p. 1. fol. 53. num. 9.
Symptomatum an morborum cura potior p. 1. fol. 79.
Syrones quid, & unde p. 1. a fol. 47. ad 51.

T

TAmarindorum operatio p. 2. fol. 39.
Terræ nuper effoſſæ nitrum p. 2. fol. 34.
Teſtium amputatio quid ad lepram p. 1. fol. 55. n. 10.
Teſtudo aquatilis quid Franciſco Rizzari p. 2. fol. 55. Terreſtris quid Monaſtriæ ibid. fol. 57. n. 17.
Timor in peſte, an præcipua cauſſa p. 2. fol. 5.
Tranſpiratio impedita nocet Animo ex Platone p. 2. f. 6. Impeditæ quomodo ſuccurrendum ex Galeno ibid.

V

VAlliſnerius quid de apoplexia p. 2. fol. 41.
Venus quando Maritis convaleſcentibus concedenda p. 1. fol. 129. & in prioribus.
Veſicantia an moveant ſputum p. 1. fol. 17. n. 2. Quando ſervire debent Pleuriticis ibid. fol. 23. n. 7. An requirant humectantia p. 2. fol. 24. Adverſus dolorificam

ſicam inflammationem p. 2. fol. 33. An excludant interna diſſolventia ibid. fol. 24.
Vitium mirandi ſe & ſua p. 1. fol. 73.
Volvulus an confundatur cum Iliaca Paſſione p. 1. f. 61. n. 7. & ſequent.
Vomitoria an revocent nimios menſes p. 1. f. 26. n. 3.
Vomitus ſtercorum an fuerit p. 1. fol. 62. n. 8.
Urina cum decoctione ſpicæ-nardi p. 1. fol. 15. Quibus morbis opponenda ibid. fol. 14. Illa Viri efficacior, quàm Pueri ibid.